




Warszewicki
Krzysztof
autor

CLYPEVS Spiritualis.





CRAC. In Officina Iac. Sibeneycher. Anno 1598.



Domus Professæ Crac. ad S. Barb.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQ.

Principi Dño D. Sigismundo III. Poloniç Sueciæq; Regi, Dño clem^mo.

Christoph. Varseuicius C.C. S.

QVartùm iam prodit Sigismunde Rex, precationũ istud opusculum meum: initio olim Sigis: I. Poloniæ Regi, materno tuo auo incerto auctore, postea à me cùm Stephani Regis apud Patrem tuum legatus fuissem, nomini tuo dedicatum.

Deinde verò cùm ab hinc quadriennió in Sueciam navigâras: & rursus cùm ex ea revertebâre tertiò. Ac nunc demum postremò. Semper quidem non malè gesta abs te re, mea ut fert opinio: & vel inimicorum tuorum docet confusio. Quos quò plures habes, eò animus & genius fortior est tuus: & quantò quidem turbatiores, tantò subinde tuæ res fiunt illustriores. Alternatis quippe variata vicibus, &

lęta

læta intermixta tristibus, non facilè exolescunt. Quod quoniam non nisi propitio erga te numini nominiq́ divinitatis adscripseris: cura ut eo quod facis colẽdo, nunquam defatigari, & in victoria quæ natura superba & insolens est, unum illud quod nõ metuis extimescere velis. Ex lętis tristia & ex his cõtraria nasci: et furorẽ in bello Martis quàm iram valere debere potius victores semper expedierit memi

 nisse.

nisse. Nos quotquot hic sumus, si vnquam antea nunc certè vel inprimis Deum Opt: Max: aßiduè orabimus, vt deinceps quoq; adsit omnibus consiliis & actionibus tuis: et vt non modo saluum et incolumem, verumetiam solida victoria te reducat lætantem. Procede, regna, et triumpha.

Cracouia, Calendis Octobris, Anno M. D. XCVIII.



SERENISSIMO Domino Sigismundo I. Regi Polonię &c.

Qui hunc libellum tibi miserim, non est quod quæratur Sereniß. Rex. Mittitur enim ab ignoto, ob hanc vnicam causam, quòd precationes victoriæ in eo contentæ, à quodam deuoto Eremita, cum commemoratione vitæ, & factorum Christi compositæ, ad te maximè pertinent: & vni tibi inter alios Christianos Principes propriè conueniunt: cuius ensis nõ in diffundendo, sed in defendendo Christiano sanguine exercetur: bellaq; suscipis, non vt regni fines ad vanam dominandi cupiditatem proferas, tuosq; titulos in sanguine lachrymis & calamitate eorum extendas, quos non minus quàm te ipsum ex præscripto legis teneris diligere: sed tota armorum tuorũ vis est & ra-

tio, vt populo tuo, Presbyteris & religiosis, ac aliæ imbelli multitudini, digna professione, pax non desit. Vtq; eos, quibus te Deus præeſſe voluit, ab humana hostium crudelitate, à præcipiti hæreticorum vesania, à miserrima Paganorum seruitute, tanquam à gladijs, plus animas quàm corpora ferientibus vindices ac defendas: prout fama de te totum percurrens orbem testatur. Accipe igitur Rex fortiſſime grato animo has precationes per populum diuulgandas. Nam aliorum victoriæ ex fortuitis fatorũ casibus proueniunt, tuæ, quoties cum Tartaris, Moschis, Turcis, & alijs infidelibus congre-deris, à Deo iustè peti, & ad eum solum debent referri. Vale & regna fœliciſſimè, resq; tuas animo inconcuſſo prosequere.



LITANIÆ TOTIVS VITÆ CHRISTI.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Mis.
Sancta Trinitas vnus Deus, m.
Iesu Christe Fili Dei viui, m.
Iesu qui Deus es ante sæcula

ex ſubſtantia Patris genitus, miſerere nobis.
Ieſu qui à Patribus & Patriarchis expectatus fuiſti, m.
Ieſu qui per ora Prophetarum te venturum in hunc mundum prædixiſti. miſ.
Ieſu qui ſanctiſsimam Virginem Mariam Matrem tuã elegiſti, miſ. n.
Ieſu qui Diuina diſpenſatione, eam ſeni & virgini Ioſeph deſpõſari voluiſti, m.
Ieſu qui per Angelum eidẽ mitiſsimæ ac ſanctiſsimæ virgini nunciatus fuiſti, m.
Ieſu qui pro nobis miſeris

de cælo deſcendiſti. miſ: n.
Ieſu qui de ſinu Patris in vterum virginis introiſti, m.
Ieſu qui ex Maria virgine naſcens, formã ſerui accipere non horruiſti, miſerere.
Ieſu qui excelſus De⁹, humilis in præſepio iacuiſti, m.
Ieſu qui vagiens ſuper fęnũ in medio duorum animalium pauperrimè ſtetiſti, m.
Ieſu qui in balneo muliebri offitio lotus fuiſti, miſere.
Ieſu qui infantulus faſcia ligatus fuiſti, miſerere nob.
Ieſu qui pannis villibus inuolutus fuiſti, miſerere n:

Iesu qui infantiles necessitates mitissimè pertulisti. m.
Iesu qui sacratissimis vberibus virgineis lactatus fuisti, miserere nobis.
Iesu qui pastoribus ab Angelis cum gaudio nunciatus fuisti, mise.
Iesu qui cruentam circumcisionem in tenello corpusculo sustinuisti, mise. n.
Iesu qui te ipsum Magis ad adorandum venientibus, stella duce manifestasti, m.
Iesu qui eos per aliam viam in regionem suam redire fecisti, miserere nobis.

Iesu qui in templo à parentibus cum humili oblatione præsentatus fuisti, mi.
Iesu qui in seniles iusti Simeonis vlnas, te amplexandũ misericorditer tribuisti, m.
Iesu qui persecutoris gladio cedens, in Ægiptũ te transportari voluisti, mise. n.
Iesu qui innocentes pro te occisos martyres tuos consecrasti, mis. nob.
Iesu qui ab Ægypto (defuncto Herode) vocatus in terram Israël rediisti, m. n.
Iesu qui à parentibus per triduum quæsitus, in templo

repertus fuisti, mis. nob.
Iesu qui inter Doctores sapientissimè puer disseruisti, miserere nobis.
Iesu qui cum parẽtibus Nazaret rediens illis subditus extitisti, miserere nob.
Iesu qui veræ humilitatis & obedientiæ nobis exemplum tribuisti, mis: n.
Iesu vere Agnus Dei, qui à Ioanne Baptista monstrari voluisti, miserere nob.
Iesu qui per manus ipsius, in Iordane baptizari voluisti, Miserere nobis.
Iesu qui voce Patris de te te-

stimonium perhibentis, eius filius dilectus declaratus fuisti, miserere nob.
Iesu Rex cœli, qui te fabri filium appellari passus es & reputari. miserere nobis.
Iesu qui Spiritum sanctum in columbæ specie super te descendere voluisti, M.
Iesu qui in deserto à Spiritu ductus quadraginta dieb⁹ & noctibus ieiunasti, m:n.
Iesu qui postea vt te verum hominem ostenderes esurire voluisti, miserere no.
Iesu qui te à Diabolo tentari permisisti, & ipsum ten-

tatorem ſuperaſti, miſ: n.
Ieſu qui ad nuptias inuitat⁹, aquam in vinum mirabiliter conuertiſti, miſerere n.
Ieſu qui duos fratres, Simeonem & Andreã, de naui vocatos, te ſequi voluiſti, m.
Ieſu qui Ioannem & Iacobum relictis omnibus & patre, ad piſcationem hominum vocaſti, miſe: no.
Ieſu qui duodecem tibi Apoſtolos humiles, imperitos, ſed fide præcelſos elegiſti, Miſerere nobis.
Ieſu qui eos in mundum vniuerſum, ad prædicãdum

miſiſti, miſ: nob.
Ieſu qui per ſimplicem eorum fidei prædicationem, de terrore mortis humanũ genus liberaſti. miſerere n.
Ieſu qui pauperibus Spiritũ euangelizandi mirabiliter dediſti, miſ: no.
Ieſu qui eiſdem Apoſtolis tuis, poteſtatem eijciendi immundos ſpiritus ab obſeſsis donaſti, miſe: no.
Ieſu qui etiam eos in nomine tuo, languores corporum & animarum curare iuſiſti, miſerere nobis.
Ieſu qui Petro Apoſtolo, cla

ues Regni cœlorum liberalisſimè tradidiſti, miſ: n.
Ieſu qui non ſepties, ſed ſeptuageſies peccanti remittendũ Petro reſpõdiſti, m.
Ieſu qui cœcos illuminaſti, & ſurdos miſericorditer audire feciſti, miſe: no.
Ieſu qui manco manum aridam extendere iuſiſti, m.
Ieſu qui clemens claudos ambulare feciſti, miſe: no.
Ieſu qui humanæ naturæ cõpatiens, Dęmones à poſſeſsis corporibus profugaſti, Miſerere nobis.
Ieſu qui paralytico apud

probaticam piſcinam ſanato, grabatum tollere & ambulare iuſsiſti, miſ: nobis.
Ieſu qui feciſti mutos loqui, & leproſos miſericorditer mundaſti, miſe: no.
Ieſu qui de luto & ſputo tuo, oculos cœco nato plaſmaſti, miſerere nobis.
Ieſu qui filium Reguli ſolo verbo ſanaſti, miſe: nob.
Ieſu qui innumeros corporum & animarum languores benignè curaſti, mi: n.
Ieſu qui mortuos potenter reſuſcitaſti, miſerere nob.
Ieſu qui per vndas maris ſic-

cis pedibus ambulaſti, m.
Ieſu qui diſcipulos tuos in naui penè periclitantes liberaſti, Miſerere nobis.
Ieſu qui & Petro cùm cœpiſſet mergi, manum ſtatim porrexiſti, miſ: no.
Ieſu qui in monte beatitudines ac virtutes ſubſtantiales docuiſti, miſerere nob.
Ieſu qui præmia ſingulis cõgruentia, liberaliſsime promiſiſti: miſerere nobis.
Ieſu qui in monte Tabor, coram diſcipulis tuis, te transfiguraſti, miſerere n.
Ieſu qui de quinque panib⁹

& duobus piſcibus numeroſam turbam ſatiaſti, M.
Ieſu qui breui ſub compendio verborum, perfectiſsimam orandi formam tradidiſti, miſe: nob.
Ieſu qui non in terra, ſed in cœlo, theſauriſare diſcipulos tuos docuiſti: miſe: n.
Ieſu qui recipientes egenos corporaliter in nomine tuo, ſpiritualiter te receptum dixiſti, miſe: nobis.
Ieſu qui ſeruos tuos omnibus miſericordiam facere, & non vindicare quenquã voluiſti, miſerere nob.

Iesu qui arctã viam iustitiæ, & angustam portam pœnitentiæ tuis ostendisti, m. n.

Iesu qui parabolis ad turbas & discipulos, statum Ecclesiæ futurum declarasti, m.

Iesu qui te inspectorem cordium, & secretorum cognitorem, sæpissimè demonstrasti, miserere nob.

Iesu qui cum discipulis in nauicula sedens, deuotas turbas in littore stantes docuisti, miserere nobis.

Iesu qui arcana sapientiæ superbis absconsa, humilibus reuelasti: miserere no.

Iesu qui cum publicanis & peccatoribus manducans, ad pœnitentiam eos prouocasti, miserere nobis.

Iesu qui Cananeam non dedignatus es. Mis: nob.

Iesu qui mulierem in adulterio deprehẽsam non condemnasti, mis: nob.

Iesu qui Magdalenam à pedum osculo lachrymãtem non abiecisti, miserere n.

Iesu qui eidem peccatorum veniam misericorditer tribuisti, mis: nobis.

Iesu qui publicanum ad pœnitentiam benignè inuitasti,

ſti, miſerere nobis.

Ieſu qui fragilitatem noſtræ miſeriæ pertuliſti, m.

Ieſu qui ex itinere fatigatus ac laſſus, ad puteum reſediſti, miſ: nobis.

Ieſu qui mulierem Samaritanã benignè corripuiſti, m.

IEſu qui afflictiones famis ac ſitis in tuo corpore patienter ſuſtinuiſti, miſ: n.

Ieſu qui compatiendo humanis calamitatibus illachrymaſti, miſ: n.

Ieſu qui Dęmoniaci & potatoris nomen æquo animo audiſti, miſ: nob.

IESV qui ditans alios, ipſe paupertatis indigentiam ſuſtinuiſti, miſ: nobis.

Ieſu qui pauperibus ad omnia etiam obſequia te humilem exhibuiſti, m.

Ieſu qui mala pro bonis à Iudęis patienter recepiſti. m.

Ieſu qui à volentibus te pręcipitare ſine reſiſtentia duci permiſiſti, miſ: n.

Ieſu qui virtute tuæ Diuinitatis per medium illorum tranſiens, de monte deſcẽdiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui diſcipulos ob penuriam ſabbato confricantes

ſpicas, vt comederent, excuſaſti, miſerere nob.

Ieſu qui homini ſubieciſti omnia, & teipſum hominem Deo ſubiectum eſſe voluiſti, miſe: nob.

Ieſu qui Iudæis ſignum de cœlo malè quærẽtibus, ſignum non dediſti, miſ.

IEſu qui Matris tuæ vbera mulieris voce de turba beatificari voluiſti, m. n.

Ieſu qui audientes verbum Dei, & illud cuſtodientes, beatos dixiſti, miſ: n.

Ieſu qui domum phariſęi ingreſſus cum diſcipulis, ibi-

dem recubuiſti, miſerere.

Ieſu qui perfidiam Phariſęorum, & legis Doctorum ſuperbiam increpaſti, miſ.

Ieſu qui interiorem mundiciam neceſsitatis, & exteriorem honeſtatis tantum eſſe oſtendiſti, miſerere n.

Ieſu qui infructuoſam arborem ſuccidi, & in ignẽ mitti debere dixiſti, miſerere.

Ieſu qui ad cœnam ingratis venire nolentibus, infirmos & humiles vocari iuſſiſti. miſerere nobis.

Ieſu qui perſecutiones Iudęorũ aliquando declinaſti,

& ab eis te ſubtraxiſti, miſ.
Ieſu qui carnalibus amicis & conſanguineis, humanã gloriam quęrentibus, non conſenſiſti, miſerere nob.
Ieſu qui veram mũdi lucem ſequendam dixiſti, miſ.
Ieſu qui ad retundendam inſaniam ſuperborum, extra te veritatem quærentium, de ouili & oſtio ſimilitudinem propoſuiſti, miſere.
Ieſu qui malignos & incredulos nõ ex ouibus tuis eſſe dixiſti, miſerere nobis.
Ieſu qui te & Patrem vnum eſſe in virtute ſcilicet & po-

tentia, ſicut in deitate & eſſentia declaraſti. miſerere.
Ieſu qui nõs à fermento Phariſeorum & Saduceorum cauere præcepiſti, miſere.
Ieſu qui ſequentes te ad continentiam adhortatus fuiſti, miſ: nobis.
Ieſu qui præceptis tuis, duodecim conſilia, ad perfectionem Euangelicam condidiſti, miſerere nobis.
Ieſu qui operarios in vineã tuam quaque hora vocare non deſtitiſti, miſ: nobis.
Ieſu qui defuncto Lazaro Bethaniam cum diſcipulis

redijſti, miſ: nobis.
Ieſu qui humanum demõſtrãs affectũ, in luctu amicorum cum Maria & Martha fleuiſti, miſ: nobis.
Ieſu qui quadriduanum Lazarũ fetentẽ in ſepulchro à morte reſuſcitaſti, m. n.
Ieſu qui conſiliũ malignantium contra te fieri permiſiſti, miſe: no.
Ieſu qui eis non reſiſtere, ſed magis per patientiam cedere voluiſti, miſ. nob.
Ieſu qui Samaritanis hoſpitium tibi negantibus, ad alium locum humiliter declina-

claſti, miſ: no.
Ieſu qui paſsionem tuam & mortem pluries diſcipulis tuis prædixiſti, m. n.
Ieſu qui non tẽporaliter dominari, ſed humiliter ſeruire & miniſtrare veniſti. m.
Ieſu qui Zachęum in Sicomorum aſcendentem miſericorditer aſpexiſti, miſ.
Ieſu qui pro mundo paſſurus, caput tibi perungi in Bethania permiſiſti, m. n.
Ieſu qui diſcipulos duos ſol uere aſinam & pulum eius vt ad te ducerẽt miſiſti, m:
Ieſu qui humilis ſuper aſel-

lum ſedens, in ciuitate Hierusalem glorioſè ſuſceptus fuiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui ſuper ipſam interiturā ciuitatem, lachrymas compaſsionis effudiſti, m.

Ieſu qui flagello de funiculis facto, vendentes & ementes de templo eieciſti, miſ.

Ieſu qui duo æra minuta pauperculæ viduæ, oblationib⁹ diuitū prætuliſti, m.

Ieſu qui plurimis ſermonibus populum docens, per totam diem ieiunus permanſiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui nō quaſi homo, in-

digens corporali cibo, ſed vt miſericors Deus humanam ſalutem eſuriſti, miſ.

Ieſu qui ficulneæ ſecus viā, tantūmodo folia ſine fructu habēti maledixiſti, m.

Ieſu qui vineam Eccleſię tuæ, prælatis ad colendum & fructum reddendum ſuis temporibus, locaſti, miſ.

Ieſu qui non habentem nuptialem veſtem, manibus ligatis & pedibus, in tenebras exteriores mitti iuſsiſti, mi. no.

Ieſu qui ſanctum dare canibus & margaritas ante por

cos ponere prohibuisti, m.
Iesu qui per parabolam duorum fratrū, nullum peccatorem diffidere debere, nec iustum præsumere ostendisti, miserere nobis.
Iesu qui nihil occultum fore, quod nō detegatur, tuo ore dixisti, mi: no.
Iesu qui ea quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddenda dixisti, mis.
Iesu qui omnem scripturā legis & Prophetarum, ad dilectionem Dei & proximi ordinasti. mi. no.
Iesu qui scribas & Phariseos

in do-

in doctrina audiendos, sed non in vita imitandos dixisti, miserere nobis.
Iesu qui nobis magistrum vnum, & Patrem in cœlis, quærendū esse docuisti, m.
Iesu qui falsis hypocritis, æternum væ maledictionis cominatus fuisti, mi. nob.
Iesu qui non tempus, sed signa aduentus tui, & consummationis seculi, tuis discipulis declarasti, mi. no.
Iesu qui abominationē desolationis, & futuram Antichristi persecutionē prædixisti, miserere nobis.

Iesu

Iesu qui per exemplum patrisfamilias, contra furem domum suam custodientis, vigilare nos admonuisti, miserere nobis.

Iesu qui nos præcingere lũbos & lucernas in manib⁹ ardentes tenere iussisti, mi.

Iesu qui modum Diuini iudicij per ventilationem areæ, quæ fiet in fine, descripsisti, miserere nobis.

Iesu qui à Iudæis te odio persequentibus, reprobatus & eiectus fuisti, miserere.

Iesu qui insidias plurimas & persecutiones ab eis perpessus

pessus fuisti, miserere nob.

Iesu qui triginta argenteis, à proditore Iuda venditus fuisti, miserere nobis.

Iesu qui prima die Azymorum Petrum & Ioannẽ parare Pascha pręmisisti, mi.

Iesu qui cum discipulis tuis in cœnaculo grandi strato, vltimã cœnam fecisti, m.

Iesu qui eorum pedes, tam piè & humiliter, lauare dignatus fuisti, mis. nob.

Iesu qui post typicum agni esum, nouum nostræ redemptionis Pascha inchoasti, miserere nobis.

Iesu

Iesu qui ſub panis & vini ſpecie, corpus tuum & ſanguinem diſcipulis in myſterium dediſti, miſerere nob.

Ieſu qui tua dulciſsima manſuetudine nequiſsimum ſeruum & proditorē à tali cōuiuio non reieciſti, m.

Ieſu qui ipſius perfidi proditoris impietatem charitatiuè corripuiſti, miſerere.

Ieſu qui Ioanni ad dulcem recubitum ſacrum pectus, vnde fluenta Euangelij potauit, tradidiſti, mi.

Ieſu qui poſt egreſſum Iudę diſcipulos cōſolando, dul-

ciſsimum eis ſermonem feciſti, miſerere nobis.

Ieſu qui per exemplum mulieris in dolore partus triſtitiam habentis eos ad pœnitentiam adhortatus es, m.

Ieſu qui pręcipuum hoc mādatum diſcipulis, vt ſe inuicem diligerēt, tradidiſti, m.

Ieſu qui maiorem charitatē neminem habere, quàm vt quis pro amicis animā ponat, oſtendiſti, mi. no.

Ieſu qui Petro pro te mori velle aſſerenti trinam ipſius negationem futurā prędixiſti, miſerere nobis.

Iesu qui diligentes te, ad observationem mādatorum tuorum monuisti, mise. n.

IESV qui Discipulos tuos, nosq;, Patri tua sacratissima oratione commendasti, miserere nobis.

Iesu qui Patri gratias agens, & hymno dicto, ad montem olivueti cum discipulis perrexisti, miserere no.

Iesu qui assumpto Petro & duobus filiis Zebedei, contristari & mœstus esse cœpisti, mi. no.

Iesu qui ob pauorem acerbissimæ mortis, orans sanguine

guine sudasti, mise. nobis.

Iesu qui procidens in faciem tuam, calicem passionis, à te transferri, patrē orasti, m.

Iesu qui obediens vsq; ad mortem, non tuam, sed patris fieri voluntatem postulasti, miserere nobis.

Iesu qui te ad tam amaram passionem, pro salute peccatoris, spōtè obtulisti, m.

Iesu qui te à discipulo proditore Iuda osculo tradi permisisti, mis: nob.

IEsu qui Petro ardentiori, post amputatā auriculam Malchi, vt gladium repo-

neret iusſiſti, miſ: nob.

Ieſu qui pius eidẽ ſeruo Malcho auriculam tangendo reſtituiſti, mi. nob.

Ieſu qui ab impiis & ſceleratis ſponte capi & teneri voluiſti, miſerere.

Ieſu qui fugientibus præ timore diſcipulis, ab eis derelictus extitiſti, miſ. nobis.

Ieſu qui ad eos deſolatos, triſtes, & oues errantes, piè reſpexiſti, miſerere nob.

Ieſu qui magno cum impetu ligatus, à nequiſsimis trahi, patientiſsimè ſuſtinuiſti, mi. no.

Ieſu qui vt agnus innocens inter lupos deriſus & verberatus in via fuiſti, mi. n.

Ieſu qui innumeris moleſtiis afflictus, tanquam malefactor, ad Pontifices adductus fuiſti, mi.

Ieſu qui in concilio Iudæorum præſentatus, manſuetus, & vt agnus mutus ſteтiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui de doctrina & diſcipulis interrogatus, de doctrina tantũ reſpondiſti, m.

Ieſu qui à vili & ſcelerato Põtificis ſeruo alapam, patientiſsimè ſuſtinuiſti, miſ: no.

Iesu qui non eidem pœnam vllam quum potuisses irrogasti, sed charitatiuè eum corripuisti, mis.

Iesu qui à falsis subornatis testibus, mendaciter acusatus fuisti, mi: nobis.

Iesu qui humili tua taciturnitate, Pontificem & scribas, in furorē cōcitasti, m.

Iesu qui per Deum adiurat⁹, propter reuerentiam Diuini nominis, Pontifici veritatem respondisti, mi. n.

Iesu qui te verum seculorū iudicem venturū, confessus fuisti, mi. nobis.

Iesu qui blasphemiæ crimē falsò tibi imponi patientissimè tolerasti, miserere.

Iesu qui à Pontifice in scissione vestis, Sacerdotium à Iudæis auferendum prophetari voluisti, miserere.

Iesu qui ab inimicis & persequutoribus, iniquè morti adiudicatus fuisti, mi: no.

Iesu qui pugnis & alapis, in facie ac collo, à prophanis percussus fuisti, mi: no.

Iesu qui sputis & puluere, in despectū & luto infectus fuisti, miserere nobis.

Iesu qui faciem tuam glori

olissimam, tam ignominiosè velari voluisti, mis: no.

Iesu qui percussus in capite, per ludibrium prophetisare iussus fuisti, miserere n.

Iesu qui sacrilegis manibus iterũ colaphisari, & os mellifluũ percuti permisisti, m.

Iesu qui tuam sanctissimam barbam euelli, & capillos venerabiles trahi, patienter tulisti, miserere nob.

Iesu qui à Iudæis conculcandũ & absq; pietate malè tractandum te exhibuisti, mi.

Iesu qui per totam noctem blasphemias & opprobri-

a, verbera, ac incommoda maxima pertulisti, mis:no.

Iesu qui Petrum te tertiò negantem, piis oculis respiciens, ad fletum & pœnitentiam prouocasti, m. n.

Iesu qui manefacto ad consilium & conuentum malignantium perductus fuisti, mis: nob.

Iesu qui post illatas tibi iniurias & cõuicia, per medium ciuitatis te trahi tolerasti, mi. nob.

IESV qui sic manibus post terga ligatis, Pontio Pilato Præsidi traditus fuisti, mis.

Ieſu qui ibidē de multis falſis accuſatus & interrogatus extitiſti, miſerere nob.

Ieſu qui te ad Herodem mitti, & illuſum in veſte alba remitti pertuliſti, miſe.

Ieſu qui ipſi Herodi miracula à te fieri expectanti nec verbū vllum reſpōdiſti. m.

Ieſu qui Herodem & Pilatū aduerſum te amicos fieri voluiſti, miſerere nob.

Ieſu qui iterum à Pilato interrogatus, nec verbo quidem falſas accuſationes refellere curaſti, miſ: nob.

Ieſu qui ante Præſidem in-

clina-

clinato capite, vultu placido, paratus ad opprobria ſtetiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui teſtimonio ipſius Pilati, et iudicio, innoxius inuentus & probatus fuiſti. Miſerere nobis.

Ieſu qui ad petitionem Iudęorum, dimiſſo Barraba, in manib. carnificum innocens remanſiſti, miſerere.

Ieſu qui propriis veſtimētis exui, & ad columnā te ſtrictiſsimè ligari voluiſti, m.

Ieſu qui vſque ad defluxum ſanguinis duriſsimè flagellatus fuiſti, miſe: nobis.

E Ieſu

IESV qui à militibus veste purpurea illusoriè circundatus fuisti, mis. nobis.
Iesu qui coronam de spinis capiti tuo superpositã patientissimè portasti, mis.
Iesu qui arundinem pro sceptro tibi traditam in dextra tenuisti, miserere.
Iesu qui calamo de manu tua erepto caput nobile tuũ percuti sustinuisti, mis.
Iesu qui illusoriè salutat⁹ & adoratus, Rex Iudæorum appellatus fuisti, m.
IEsu qui iterùm criminosis manibus maxillas tuas cõ-

cuti, capillos & barbam euelli permisisti, mis.
Iesu qui tã immaniter laceratus, ad crudele spectaculũ foras eductus fuisti, mis.
Iesu qui à Pilato (Ecce homo dicente) deformis ostentatus obticuisti, m.
Iesu qui terribiles Iudæorũ voces, tolle, tolle, crucifige clamitantiũ, audisti, m.
Iesu qui ante tribunal Pilati adduci, & ad mortem crucis te innocentẽ condemnari voluisti, mis: nob.
IEsu qui horribili sententia prolata, veste purpurea e-

xutus fuisti, miserere.
Iesu qui fune ligatus manibus et collo, crucem tuam propriis humeris baiulasti, miserere nobis.
Iesu qui latronibus associatus, inter sceleratos reputatus fuisti, mis.
Iesu qui curuatus sub pondere, vociferātibus turbis, in Golgota immolari ductus fuisti, mis: nob.
Iesu qui matrem tuā lachrymātem, & penè exanimatam, præ dolore in terram corruere vidisti, mis.
Iesu qui non siccis oculis ipsam

psam matrem conspiciens gladio compassionis confossus fuisti, mis: nob.
IESV qui ad amantes te, & plangentes mulieres, oculos & ora conuertisti, m.
Iesu qui ipsas filias Hierusalem non super te, sed super se & filios suos, flere es adhortatus, mis: nobis.
Iesu qui debilitatꝰ ac fractus sub tāto onere, aliquantulum respirare voluisti, m.
Iesu qui Simonem Cyrenæum angariari ad portandā post te crucē permisisti, m.
Iesu qui sic inter latrones li-

gatus montem Caluarię ascendisti, mis: nobis.

Iesu qui ad pudoris & doloris cumulũ, tertiò iam coram omnib. frigori & vento nudari voluisti, mis.

Iesu qui preciosissimam faciem tuam & carnem, præ flagellis, tanquã leprosam habuisti, mis.

Iesu qui velo capitis sanctissimæ Matris cinctus, & cũ dolore mentis nimiò velatus fuisti, mis.

Iesu qui nudus sup lignũ crucis dirè proiectus & crudeliter distentus fuisti, mis.

IESV qui dulces manus & pedes acerbissimis clauis, multo manãte cruore, con figi voluisti, mis: nobis.

Iesu qui chirographum pec catorum nostrorũ & mortis eidẽ cruci affixisti, m.

Iesu qui in cruce exaltat', inter cœlũ & terram pendẽs, ima superis coniũxisti, m.

IEsu qui pro crudelissimis crucifixoribus Patrem affectuosissimè exorasti, mis.

Iesu qui à prætereuntibus & Sacerdotib. insipiẽter blasphematus fuisti, mis.

Iesu qui titulum triumpha-

lem tribus linguis ſcriptũ, ſupra crucem poni voluiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui inter duos latrones crucifixus, te verum iudicem bonorum & malorũ oſtendiſti, miſ: nob.

Ieſu qui latronem ad dexteram tuam crucifixum, licet ſerò pœnitentem, clemens exaudiſti, miſ.

Ieſu qui veſtiméta tua diuidi, & ſuper tunicam incõſutilem ſortem mitti voluiſti, miſerere.

Ieſu qui pendens in cruce, à multis ſpretus, variis & ex-

probrabilibus verbis illuſus fuiſti, miſ: nobis.

IESV qui materno dolori compatiés, ipſam Ioanni, ei ipſum, dilectum diſcipulum commendaſti, miſ,

Ieſu qui preces Patri in cruce cum clamore valido & lachrimis pro nobis obtuliſti, miſ: nob.

Ieſu qui prę doloris anguſtia Hely Hely lamazabatani magna voce clamaſti. m.

Ieſu qui ſalutem humani generis ſitiens, aceto & vino mirrhato cum felle mixto potatus fuiſti, miſ.

Iesu qui nostræ redemptionis opus, iam in tua passione consummatum, Deo Patri obtulisti, mis: nob.

Iesu qui hora nona in cruce moriens, Sanctissimam animam tuam Patri commendasti, mis.

Iesu qui versus matrē inclinato capite, maximo cum dolore, spiritū emisisti. m.

Iesu qui mox obscurato Sole terræ motum fieri, & velum templi scindi, monumētaq; aperiri voluisti, m.

IEsu qui mortem nostram moriēdo destruxisti, & sanguine

guine tuo mundum redemisti, mis: nobis.

Iesu qui matrem cum Ioanne, Magdalena, & sororibus amaritudine doloris repletam reliquisti, mi: n.

Iesu qui militis lancea apertolatere tuo, exinde sanguinem & aquā effudisti, mi.

Iesu qui de vulneribus tuis medelam vulnerū nostrorum emanare voluisti, mi.

IEsu qui hora vespertina à Ioseph & Nicodemo de cruce depositus fuisti, mis.

Iesu qui inter brachia mœstissimæ Matris receptus ab ipsa

ipſa & aliis tuis fidelibus planctus fuiſti, miſerere n.

IEſu qui cum aromatibus Syndone munda & linteo inuolutus fuiſti, miſ: nob.

Ieſu qui in alieno monumẽto tanquam inops & peregrinus ſepultus fuiſti, miſ.

IEſu qui ad inferos deſcendens portas ferreas & vectes confregiſti, miſerere.

Ieſu qui deuicto Diabolo, magna virtute tua infernũ ſpoliaſti, miſerere nobis.

IEſu qui ſanctos tuos cum gloria & triumpho ab inferis eduxiſti, miſerere nob.

Ieſu

Ieſu qui tertia die ruptis vinculis mortis cum in ineffabili gloria ſurrexiſti, miſ.

Ieſu qui à mortuis te reſurgente terræ motum magnum fieri voluiſti, mi: n.

Ieſu qui Matri tuæ in lachrymis oranti, glorioſus cum gaudio primùm apparuiſti, miſerere nobis.

Ieſu qui eiuſdẽ Matris mœroris acerbitatem in læticiam conuertiſti, mi:nob.

Ieſu qui mulieribus ad monumentum cum aromatibus venientibus Angelorum viſionẽ præbuiſti, mi.

Ieſu

Iesu qui ab ostio monumenti reuolutum lapidem ab Angelo eis ostendisti, mi.
Iesu qui custodes præ timore exteritos, velut mortuos iacere fecisti, mis: n.
Iesu qui mulieribus vt Apostolis te resurrexisse nunciarent per Angelum iussisti, miserere nobis.
Iesu qui dilectis tuis desiderium te quærendi dedisti, sed effectum inueniendi in Galilæam distulisti, mi.
Iesu qui feruentissimæ amatrici tuæ Mariæ Magdalenæ in specie hortulani ap-

paru-

paruisti, miserere nobis.
Iesu qui deuotis mulieribus à sepulchro redeuntibus propitius & speciosus occurristi, miserere nobis.
Iesu qui veritatem tuæ resurrectionis, à militibus pecunia corruptis, peruerti non permisisti, mis: nob.
IEsu qui Petro tuo Vicario lachrymanti ad consolandum eum priuatim apparuisti, miserere nobis.
Iesu qui duobus Discipulis in via peregrinus apparens in fractione panis te manifestasti, miserere nobis.

Iesu

Iesu qui ad congregatos Discipulos clausis ianuis intrans, in medio eorum stetisti, miserere nobis.

Iesu qui post verbum pacis, vt Discipulos turbatos sedares tua vulnera eis palpanda præbuisti, mi: no.

Iesu qui partem piscis assi, & fauum mellis tibi offeri, & coram ipsis manducare voluisti, mis: no.

Iesu qui reliquias eis tradēs, sensum eis vt scripturas intelligerent aperuisti, mis.

IESV qui omnem tibi potestatem traditam manife-

stans Discipulos tuos baptizare gentes misisti, mis.

Iesu qui in litore maris discipulis apparens ad dexterā nauigij, rete trahi præcepisti, Miserere nobis.

Iesu qui obedientibus illis, copiosa multitudine piscium adimpleri rete voluisti, mi: no.

IEsu qui nos vt ab infidelitatis vulnere sanares, vulnera tua ab Apostolo Thoma palpari voluisti, m. n.

Iesu qui Discipulis tuis per quadraginta dies in variis argumentis apparuisti, m.

Iesu qui conuescens cum e-
is palam cernentibus cun-
ctis in cœlum ascẽdisti, m.
Iesu qui quinquagesimo die
S.Spiritum super eos in lin
guis igneis misisti, mis.
IEsu qui per ipsorum Apo-
stolorum prædicationem
vniuersum mundum ad te
conuertisti, miserere nob.
Iesu qui super te firmam pe-
tram Ecclesiam tuam per
manus Sanctorum tuorũ
ædificasti, miserere no.
IEsu qui ipsam Diuinis Sa-
cramentis tanquam spon-
sam ornatam monilibus

decorasti, miserere nobis.
Iesu qui nobis post naufra-
gium secundam tabulam
pœnitentiæ misericorditer
reliquisti, miserere nobis.
Iesu qui Matrem tuam san-
ctissimã Virginem Mariam
ad cœlos assumpsisti, mis.
Iesu qui in cœlis ipsam quo-
que aduocatam nostram
pientissimã constituisti, m.
Iesu qui in exponẽdis sacris
scripturis Beatum Hiero-
nymum Doctorem maxi-
mum elegisti, miserere no.
Iesu qui venturus es iudica-
re viuos & mortuos, & se-

culum per ignem. mis: no.
Iesu Christe audi nos.
Iesu Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Pater noster. &c.
℣. Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo.
℟. Petite & accipietis.






PARAPHRASIS
In Psalmos Pœnitentiales septem.





In primum.

Domine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Ne excandescas ira tua contra me Domine, neq; iudicum, sed genitorum more me castigato.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt oßa mea.

Infirmitati porrò commisereâris meæ, & pristinæ restituas me sanitati: vt enim de te semper meruerim malè, quod quidem tu humanę fragilitati tribuas, tu quomodo disimilis ipsi fueris tibi?

Et anima mea turbata est ualde; sed tu Domine usquequo?

Quò magis es adhibenda medicina, nihil interponas moræ: cum langueam totus, & contagione scelerum ad ossa ipsa sim cõsumptus.

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Respice me Dñe & animæ benignus opẽ ferto meæ, & quem à me iratus vultum auerteras peccatore, eodem rursus pœnitentem misericors recreato.

Quoniam non est in morte qui memosit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Nam quem tandem interitus fructum perciperes mei, aut quis laudes decantaret tuas orco mancipatus?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Equidem consumpsi lachrymis atq; suspiriis dedi me iam totum. Quod idem deinceps quoq; facere habeo constitutũ, sic vt nulla futura sit nox qua cõmissorũ memoria flagitiorũ lectum non persperserim meum, vi maxima lachrymarum.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Iam & interior mẽtis meę oculus vltionis recordatione tuæ, mirum in modum planè est conuulsus. Miserumq; me, qui in Cacodæmonum & hominum cœtu consenui perditorum. Hem quàm me meaq; disperdidi vniuersa.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei.

Vos vos appello scelerati, qui non modò agitis ipsi peruersissimè, verùm in aliis quoq; in peccatis admouetis faces: missum tandem me faciatis: & quid ego de-

ſperem creatorem creaturæ aliquid indulſiſſe?

Exaudiuit Dñus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Quid ſi verò & preces exaudiuit meas, & aures ad me ſuas inclinauit perbenignas.

Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant ualde uelociter. Gloria &c.

Suffundantur aduerſarij rubore iam mei, & maneat eos nota ignominiæ ſempiterna.

Pſalmus alter.

B*Eati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.*

O quàm verè eos quibus peccatorum veniam dedit Deus, beauit. Quæ quantũuis licet enormia fuerint, ſemel per pœnitentiam deleta perpetuæ obliuioni tandem mandantur.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.

O fortunatos natos, quos nõ ipſorum merito ſed infinita ſua à reatu liberat Deus clementia, neq; ad perpetuos gehennæ amandat cruciatus: qui non modò apparentis nullius notantur ſceleris, ſed neq; adeò in abdi-

tis cordis secretò se occultã-
tem retinent prauitatem.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Ego interim qui negauero, cùm quo diuinam tuam offenderam maiestatem dubitauerim confiteri, ossa mea cõsumpta vetustate fuisse, & ita meas defecisse vires me, vt nihil ferè reliquũ superesset sanitatis.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Quanquã tum quidẽ sacrosacto numine nomineq; diuinitatis tuæ implorando

cœpi magis inuigilare, cum mala & calamitates meæ inciperent etiam augeri.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Vnum autem iuuit me vel potissimùm quod in tot ac tantis perturbationibus & ærumnis meis suggesisti mihi consilium, vt tum à spinis meis tum à verberibus tuis veluti à somno excitatus ad te redirem, & nihil vsquaque inficiarer peccatorum.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Quominus tu quoq; Domine ignoscendo tardior & beneuolentia complectendo me fuisti iniquior. Ex quo enim ingenuè crimina tibi cõfessus sum mea, haud ita difficilè veniã tu vicissim benignus mihi es largitus.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore oportuno.

Quibus iisdem vestigiis omnis institerit homo. Nã qui non peccet inuentus est nemo. Verum vnum diuinitus illud petendũ est semper, ardorem & cupiditatem vt in nobis peccandi extin-

guat: & id quidem seriò & non serò fiat, quandiu tempus placandi numinis & dies superfuerint salutis.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Qui enim expers est sceleris, & nihilominus auet reddere se meliorem, vel vna illa fundendarum precũ bonorumq; operum assidua exercitatione, ne magnitudine flagitiorum in profundum demergatur, præstat se immunem, vsq; eò vt si vel inundantes irruerentur in ipsum tentaciones, non ita

afficient eum vt penitus obruatur. Verum enim uerò qui vel minuta quoq; delicta habuerit apud se contéptui, hunc nec opinantem interitus manet, inueterata consuetudine delinquendi.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Tu quidem vnus ille es & haberis, qui veluti sacra quædam anchora & mea existis salus: de cuius ego misericordia non dubitabo, fide, & constanti ac perpetua erga me voluntate. Tu inquam iuge meum perpetu-

umq; es gaudium. Fac Domine ab hostibus meis qui ex omni parte circumstant me tueare.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in uia hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Non hoc, inquit Deus, ego tibi sum pollicitus, vt omnis expertem perpetuo te faciam mali: sed illud quidem alterũ quod saluti magis expedierit tuę lubens pręstabo, vt pręceptionum mearum sis capax & intelligés, vt siue iustitia interna siue verò externa doctrina erudiam te, quo pacto ambu-

lare debeas in via veritatis. Ac deniq; defigam oculos in omnes gressus & vestigia tua, vt auctorem vitæ & seruatorem experiare me salutis & incolumitatis tuæ, in omnibus rebus & occasionibus iis, quæ ad te salutemq; tuam conseruandam maximè pertinebunt.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

Quæ cum ita se habeant, & cum ego ô filij hominum ad benè de vobis merẽdum promptus & alacer sim semperq; fuerim, par quidem est

vos vicissim prouidere, ne vestra ipsorum culpa via veritatis amissa, equis & mulis qui intellectu carent quàm hominibus ipsis efficiamini similiores: sed potius conditionis vestræ animo & cogitatione aspicite dignitatẽ, quæ talis debet esse, vt ratio præsit, appetitus verò ancilletur.

In chamo & freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Interim tamen quoniam dignitatis & præstantiæ suæ obliti non multò absimiles brutis quidã sunt facti, hos

tũ ad te redire quouismodò etiã compedibus iniectis patiare, & ad ferẽda onera chamo & freno constringãtur.

Multa flagella peccatoris: sperantem autẽ in Domino misericordia circundabit.

Tandem aliquãdo intelligant, quod inter iustum & peccatorẽ sit discrimen: & quantùm lętentur boni, angantur improbi: illos gaudia, hos ęternus maneat cruciatus.

Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde. Gl. p.

Vos ergò serui Dei boni qui placere toto animo expetitis illi, in eodem candi-

do pectore vt par est exultate, omni vestra reposita spe in misericordia diuinę maiestatis.

Psalmus tertius.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Iusta & implacabili ira tua Deus, qua in extremo iudicio in impios accenderis, nõ me eandem horribilem audire cum iis sententiam obsecro facias, neq; æterna & intollerabilia gehennæ supplicia experiri paciare.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Tuum ego furorem non aliundè extimeſco magis, quàm quòd formidinis inferni ſtimuli animam perpetuò excruciant meam, dum peccati magnitudinem reuoluo animo, & flagitia quę ſunt innumerabilia mea ipſe quotidie mecum tacitus recognoſco. Inprimis verò quòd vltionem contra me auxeris tuam, ex qua ſtimulis exagitor conſcientiæ: & quantò adhuc maiores & acerbiores maneant me pœnæ, cum metu & horrore circumſpecto.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.

Nam & in corpore quidem meo, nihil prorſus reliquum habeo ſanitatis, quod propterea quia grauiter peccaui, ingenuè fateor me meruiſſe: neq; verò vlla vel minima quies oſsibus meis ſupereſt, & tam animi quàm corporis mei vires valdè ſũt extenuatæ, ſic vt eius quam promerui pœnę recordatione atq; metu, non poſsim nec debeam non magnopere cruciari.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Etenim quę vel antea occultaueram scelera, vsq; eò iam excreuerant, vt & caput cooperuerint meũ, & mens cupiditatibus fuerit oppressa iis quarum grauem seruio seruitutem. Quid quòd adeò etiam maioribus progressibus factis, scelerum fit cumulus ingens, qui sicuti on' dorso impositum quotidiè languidũ magis me reddunt & efficiunt.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ : à facie insipientiæ meæ.

Postremò & vel ipsæ cicatrices renouatæ sunt vulnerum meorum antiquorũ, & quæ pœnitentia duce ac magistra sanaueram, intemperantia socia vicissim recrudescunt. Quo magis saucium me esse sentio, & id quidem totum fatuitati meę fero acceptum.

Miser factus sum, & curuatus sum usq; in finem: tota die cõtristatus ingrediebar.

Variis præterea & multiplicibus malis afflictus sum, vt nec virium quidem mihi restet aliquid ad resistẽdum. Iam partim horrore turba-

tus conſcientiæ, partim verò flagitiorum territus fœditate, maximo verſor in dolore, conſumptusq́; totus planè etiam contabeſco.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Etenim lũbi ipſimet mei, in quibus affectus ſedes eſt luxurioſi, motibus quàm turpiſsimis fuerunt repleti, quibus haud ita facilè quàm mihi illuſum eſt crederetur, dum commotiones prauæ in corpore excitantur meo, & nulla vel minima recta in eo eſt habitudo.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Iure igitur & meritò hæc ſimiliaq; patior, & iudicio tuo Deus iuſto, ac conſcientia compunctus ſceleris, præ angore animi vix conſiſto, inq; maximo poſitus ſũ mœrore et deſpicatu. Proinde & calamitate doctus, mecũ ipſe peccata cœpi rimari & deplorare mea, & idẽtidem interruptas edere voces ac rugitus quaſi intermorientium belluarum.

Domine ante te omne deſideriũ meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Tu autem cui patent o-

mnia procul dubiò vides, quàm referre à peccatis desi rem pedem: quapropter & hæc ardentissima suspiria, ex imo pectoris tracta non te prætereunt. Quæ sicuti quidem cognita sunt tibi, ita & ego omnia flagitia apud te confiteor mea, & infinitam misericordiam tuã supplex imploro.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me uirtus mea: et lumen oculorum meorũ et ipsum non est mecum.

Postremò etiã ingens quidam horror spiritum cõturbauit meum, & animi corporisq; viribus penitus sum desti-

destitutus, adempta fortitudo mea est mihi, nec aliquid restat ad benè honestèq; viuendum. Nam & lumen euanuit mentis quo solebam aliis præluxisse, & non tantum ea quæ recta sunt agere, sed nec intelligentia bona à malis possum discernere.

Amici mei, et proximi mei, aduersum me appropinquauerunt et steterunt.

Quid quòd & præter illa quę intus patior vulnera, extus quoq; ægritudo excepit me altera, & simulatq; non amplius peccare statueram, ij qui etiam antea mihi erant

 ami-

amicissimi facti à me sunt planè auersi, & quomodo sententia dimouere me potuissent mea, dies noctesq; laborârunt.

Et qui iuxta me erant, de longè steterunt: et uim faciebant, qui quærebant animam meam.

Cuius quidem voti & desiderij sui quo faciliùs etiam quidam compotes redderētur, eadem illa quæ anteà patraueram proposuerunt mihi amplectenda flagitia, & turpissimarū illecebras voluptatum, semper & vbiq; clandestinas struentes mihi insidias, quibus à recta via

me deducere, & laqueis delictorum rursus potuissent irretire.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sūt uanitates: et dolos tota die meditabātur.

Et qui parabant foueam, & imponere volebant mihi contumeliam, ipsi se coarguêrunt falsitatis: quòd vel perpetuò dolos & insidias struere non cessârunt.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum

Sed steti ego in pœnitentię immobilis proposito meo, & iis qui in contrarias artes & partes pertrahere me conabantur, visus sum elin-

guis & surdaster, quòd nullum iis assensum volebam præstitisse.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Non aliter ergo habitus sum, quã si omni sensu prorsus carerem audiendi: cum ad ea quæ in medium afferebant nunquam accomodarem aures, neq; friuolas & ineptas cõfutarem ipsorum ratiocinationes.

Quoniam in te Domine speraui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quę ideò vel maximè feci quòd omnẽ in te Domine fiduciam posueram meam:

cum ne nunc quidem dubitem, supplici opem tuã imploranti benignas aures te esse præstiturum.

Quia dixi ne quando supergaudeãt mihi inimici mei: et dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Ad eum enim modum sic ipsemet ratiocinatus sũ mecum; Dum tempus & occasio nõ deest, quid ego spem in Deo non defigã meo? vt ille vicissim me exaudiat, & auxiliarem manũ porrigat, & à rabie hostium cunctorũ me tueatur: qui si vel alicubi impegero pedem, triumphare de me non dubitant,

& vel integra victoria potituros esse se superbè gloriãtur.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Neq; verò & ego diffiteor, conscium mihi esse me quorumuis grauium delictorum: quò etiam libentiùs ad omnia supplicia me vltrò tibi offero: sed fac obsecro vt filium, & non vt seruũ vapulare me fugitíuum. Equidem quoad vixero crimina commissa lugebo perpetuò, & nunquàm nõ scelerum meorum cum gemitu recordabor.

Quoniam iniquitatẽ meã annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Qua enim fronte ego flagitia apud te negauero mea, cum versetur versabiturque ante oculos semper peccati mei magnitudo. Quin & tantò etiam intra me cruciabor vehementiùs, quantò à te secessione facta mei conditionisq; meæ fueram magis oblitus.

Inimici autem mei uiuunt et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

Verùm & præter hæc ipsa tanquam grauia mala hostium meorum rabiem atq; in-

ſaniam extimeſco, à quibus vt ſaluũ & incolumem præſtes me, ſupplex te oro: certòq́; mihi perſuadeo, ſatius eſſe in tuas incidere manus, quàm illorum qui protinus de me ſupplicium ſumerent mãcipari poteſtati. Ipſi quidem à me perſequendo qui deſiſtant, qui adeò etiam robuſtiores indies facti, odio acerrimo me proſequuntur, & tum numero, tum ſpiritu aucti animę meæ diſperditionem moliuntur.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatẽ

Quorum vſq; eò quoſdã ſic ingratos videas, vt pro gratia odiũ reddere non dubitent, & profectum totum meę iſtius pietatis impedire. Qui detractionibus & contumeliis ſuis, moleſti ſũt mihi, nullaq́; non verborum & impotentis animi ſui immoderata libertate. Quod ipſũ nõ alia de cauſa faciũt, quàm quòd me aliquantulum recollegi, & ingreſſus viam ſũ iuſtitiæ ac veritatis.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Te oro obteſtorq́; Deus

Opt.Max.mihi ſis clemẽs & propitius,totq; malis & anguſtiis circũuentũ ne me deſeras, ſed ſẽper & vbiq́; adſis præſtò mihiq́; patrocinere.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ. Gloria patri, etc.

Pro ſolita deniq́; benignitate & miſericordia tua, numine tuo regi, tegiq́; me patiare, cum vnus ille generis humani clementiſsimus tu ſis conſeruator.

Pſalmus quartus.

Miſerere mei Deus: *ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

Ad miſericordiam & non

ad iuſtitiã tuã mecũ obſecro omnia Dñe reuocato, quem ego adulterio & homicidio aliiſq; enormibus peccatis offendi grauiter perpetratis.

Et ſecundum multitudinem miſerationũ tuarum: dele iniquitatem meam.

Tu inquam non mei meorumq́; ratione ſcelerũ, ſumpſeris de me ſupplicium, ſed lenitate placabilitateq́; tua, ſumma, crimina mea licet enormia metiâre, & propter non iam adumbrata, ſed expreſſa veſtigia bonitatis tuę, quamplurima delicta deleto mea obliuione ſempiter-

na, ac tantò etiam citiùs maculas meas eluas, quantò & ego ipse mihi iam displiceo magis, quòd abusus patientia & lenitate tua fuerim singulari.

Amplius laua me ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me.

Et quoniam mole peccatorum iam sublata, nihilominus tamen aliqua restant eluenda, vel hæc etiam ipsa à me abstergere ne grauere. Etenim si præ me antea dissimulanter tuli, nec sceleris mei atrocitatem satis æquè circumspexi, nunc quidem

quãtum illud sit & dispicio acriter, & doleo confiteorq; minimè dubitanter.

Quoniam iniquitatem meã ego cognosco: et peccatũ meũ contra me est semper.

Iam vt etiã alios hoc nomine offendissem, te tñ vnũ offendi Dñe maximè, cum tuam vnius transgressus sim legem, & Rex existens præter te superiorẽ habeam neminem. Qui in me liberè potes vti seueritate tuarum pœnarum etiam maximarum.

Tibi soli peccaui et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis et uincas cum iudicaris.

Quandoquidem præter

quàm proximum, ipsam etiam diuinam tuã in cuius hęc accidêrũt oculis violaui maiestatem. Quorum omnium quoniã iam semel veniã mihi largitus es, neq; illud obsecro impedias, meo ex semine filius tuus vt nascatur: quò & promissis satisfacias tuis, & eos haud dubiè coargues falsitatis, qui prorsus obliuisci affirmãt te peccatoris, & qui vt seminis mei impedirent fructum, tot tantorumque flagitiorum extitêrunt mihi suauores & auctores.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sũ et in peccatis concepit me mater mea.

Possem verò ego imbecillitatis meæ apud te vti excusatione aliqua, maximè cum originale mihi insit scelus, in quo primus meus & inquinatus fuit exorsus, sed absit hæc à me cogitatio, cum neminem effugiat quãta apud te commendatio regalis sit candoris, & ingenuitatis, sine vllo anfractu & circuitione verborum.

Ecce enim ueritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Iam quid ego tibi & veritatem non opponam tuam,

quam tu & in ipso te testatã luculenter facis, & in seruis tuis semper requîris. Quæ & ipsa per se æquitatem implorat tuã, nec mea neq; vllius oratione euocata, vt tãdem semel factis, stes promissis. Tu quippe occulta tua iudicia & æternę illius sapientiæ decreta mihi potissimũ patefacta esse voluisti, & nullo merito meo, sed summa bonitate tua maximè me illustrasti. Quî igitur & de miseratione tua non sperem præ cęteris magis, quibus siue decreta siue exempla ipsius nõ

peræquè ac mihi sunt explorata.

Asperges me Domine hyssopo et mundabor: lauabis me et super niuem dealbabor.

Quod si nulla alia re hæ sordes elui in me poterunt, hoc tu Deus & seruator meꝰ vnigenæ tui sanguine præstiteris filii, qua vna ratione ablutus ipsa etiam niue candidior videbor mihi effectus.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiã: et exultabunt ossa humiliata.

Interim quidẽ internam conscientiæ meę quietem & lætitiã dato, quæ pondere & crebritate exaruit delinquẽdi, vt animi corporisq; vis

mei rurſus in me reuireſcat.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Iracundiæ tuę à ſceleribus meis procul amoueas facẽ, & delictũ in me meum prorſus extinguatur.

Cor mundum crea in me Deus: et ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis.

Mentem caſtam & interiora cãdidiora mihi largiâre, vt nihil aliud quàm vera & ſolida bona toto animo cõcupiſcam.

Ne proicias me à facie tua: et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Quod vt adeò via magis fiat compendiaria, almi mi-

hi ſpiritus infundito lumen, quod nihil deſideret noxiũ, ſed ad illud bonum rapiatur ſemper ſolidũ & expletum.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: et Spiritu principali confirma me.

Non me cõſuetudine priuaueris tuæ benignitatis, & Spiritu tuo ſancto quẽ ego vnum delegi mihi patronũ perpetuò frui me obteſtor patiâre. Iuge poſtremò gaudium illud tandem aliquando mihi reſtituas, vt & ego gratum cõmendatumq; me tibi eſſe ſentiam, & ex progenie mea humani generis ena-

ſcatur liberator. Cuius equidem tanti iacturam ne faciã boni tuo ipſius me confirmato ſpiritu, cum maximè omnium ſis ſemperq́; fueris liberalis.

Docebo iniquos uias tuas: et impij ad te conuertentur.

Fac verò vt non doctrina tantùm, ſed in quo multò plùs poſitum eſt præluceam & exemplo, & tuam erga me clementiam ad omnem poſteritatem reddam teſtatam: vt vel alii quoque tantæ & tam inauditæ placabilitatis tuę fiducia frȩti ſe recolligãt,

& dignam agãt peccatis ſuis pœnitentiã, qua ſeueriſsimę animaduerſionis in damnatos tuę, effugiãt grauitatem.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Te iterũ & iterũ ſupplex demiſſèq́; obſecro, ne homicîdiũ meũ vltione proſequare, coinquinatus quippe sãguis in adulterium me egit, pariterq́; fecit & interfectorem. A pœnis deniq́; temporariis quæ ſceleribus irrogari deberent meis, obſecro me liberato, vt de laudibus & beneficiis tuis nunquam quo-

ad vixero obmutescam.

Domine labia mea aperies: et os meum annunciabit laudem tuam.

Nam labia mea ista quæ nunc obstricta sunt scelere, minus idoneum reddũt me laudibus tuis decantandis.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Iam verò si expiandis peccatis quælibet alia sufficerẽt sacrificia, nõ prætermiterem sanè omnia, quę ad te placãdũ cõciliandumq; mihi pertinerẽt: verum non me sanè preterit quantula ista sint, quæ à nobis erga te possent, & deberent proficisci.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Quod ergo est proprium tuum doloris & pœnitentiæ offero tibi sacrificium meũ, certò certiùs persuasus animũ tibi deuotum non prorsus te reiecturum.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Hierusalem.

Quid quòd & in spem erectus iam meliorem, denuo te precor, vrbi vt meæ patrocinere, & nõ modò istud ædificium ex lapidibus erigẽdo, sed & illud vniuersale ex moribus cultuq; hominum

coniungēdo, operi manum admoueas, quod ipsum ex variarum gentium ac nationum constabit congregatione, longè magis pulchrum atque stupendum.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum uitulos. Gloria etc.

Tum nimirum & in vrbe ipsa dignæ tibi occinentur laudes, & altaribus tuis iusta oblationis & holocausti sacrificia imponētur, & denique in Ecclesia tua ipsa, magis mundum vigebit sacrificium, coæternus & vnigenatu⁹ filius Christus Iesus Opt.

Max. & ante thronum maiestatis tuæ vituli offerentur, cū videlicet sācti & electi tui agent tibi grates, & numen nomenq; tuum ad omnem perpetuitatem celebrabūt.

Psalmus quintus.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te ueniat.

Des precibus locum meis præpotēs & immortalis Deus, Opt. Max. & admitte vocem suplicis ad te clamātis.

Non auertas faciē tuā à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurē tuam.

In quacunq; die inuocauero te: uelociter exaudi me.

Non turbes me Dñe, à me auferẽdo tuo numine, & omni loco ac momẽto cũ te inuocauero adsis mihi præstò.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Equidem (vt ingenuè fatear) beneficij expectatione tui, propè iam contabui, & vt fumus concreta quadam nebula, paulò à terra eleuata, sic tempora mea sensim sine sensu euanescunt, ossa deniq; corporis mei, angores consumpserunt animi: & ad omne bonum prorsus languidus & ineptus sum.

Percussus sum, ut fœnum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

Quemadmodũ porrò viriditas graminis herbescẽtis ab æstu percutitur solis, vt penitus exarescat, ita & ego verberatum me esse sentio, siue ab æstu indignationis tuæ, siue à peruerso habitu appetitus & cupiditatis meæ, quàm quidẽ in me identidẽ experior mirè grassantem, sic vt omni vigore meus destituatur spiritus: & ideò vel etiam magis debilis fiam, quòd me meo necessario nõ reficio cibo: siue immodera

tis corpus meum affligẽs ieiuniis: siue oraculis tuis in meos intimos sensus non vt par est admittendis.

A uoce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Lachrymæ postremò & singultus mei qui me infestant quotidie, non aliud quàm cutem & ossa nuda mihi reliquerunt.

Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nicticorax in domicilio.

Ac profectò solituago pelicano illi & noctuę obscuritatis amicæ euasi iã simillim⁹: adeò lucẽ refugit animus, & in turbã me do prorsus inuit⁹.

Vigilaui: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Resectæ quodammodo meæ palpebræ sunt, & cõtinuis vigiliis vehemẽter diuexor: Instar passeris per tecta ingemiscens volito, & multa patior generis eiusdem.

Tota die exprobrabãt mihi inimici mei: et qui laudabant me, aduersũ me iurabant.

Risu interim me exagitãt aduersarii mei, cũ miserum & calamitosum esse intuentur: neq; solum hostes infesti sũt mihi, sed & illi ipsi, qui ablandiebantur aliquãdo in me omnes conspirãrunt.

Quia cinerem tanquã panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

Eòq; sũ redactus penitus, vt nihil ferè melius quàm cineres mihi sapiant, cum quibus panẽ meum consumo, & in ipso cinere me voluto, lachrimisq; vinũ distẽpero.

A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.

Atque vt demum paucis complectar omnia, equidẽ magnam indignationẽ tuam incurrisse me videre mihi videor: nec alia de causa abs te elatum, nisi vt eo etiam casu decidã grauiore.

Dies mei sicut umbra declinauerunt; & ego sicut fœnum arui.

Fertne tua sic voluntas

Dñe, ne illud quod aueo videam bonũ Messiam videlicet aduenturum? & diei vmbrę ætas, spes vero mea fumi instar euanescat.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Quanquam vt vicissim fatear quam debeo veritatẽ, eòq; etiam ipso maiorẽ assumã animũ, cum tu sis & eris perpetuò immortalis, quì & ego nõ crederem verborum promissorumq; tuorum immobilem futurã firmitatẽ.

Tu exurgẽs Dñe misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia uenit tempus.

Ac proinde tanquã à quodam expergefactus somno; cum opportunum tempus tuę venerit bonitatis, vt tandem aliquando quod promissum est præstes, & Ecclesiam tuam instaures te supplex Domine demisseq; obtestabor.

Quoniã placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

Et mittes seruos tuos, sanctos nempe Apostolos, qui lapidibus Ecclesiam, hoc autem est animabus delectati fidelium, miseratione quadam ducentur, & magnifi-

centissimè eas ornabunt & exędificabunt.

Et timebunt gentes nomen tuum Dñe: & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Et erit terrori gentibus nationibusq; exteris potentia tua, & omnes orbis terrarũ Principes nomen tuum formidabunt.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Rara tum illa & preciosa valdè futura sunt tempora, quibus vniuersalis coalèscet Ecclesia, & prius quidẽ vnigena Dei Opt. Max. filius apparebit homo factus in splẽdore suorum miraculorum

nūquam antea auditorum.

Respexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.

Ita demū supplicum preces exaudiet Deus, & suorū orationes non contemnet.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dn̄um.

Quæ & ipsæ res mādabuntur literis & Euangeliis consignabuntur sacris, ad posteri tēporis recordationē sempiternam: & quæ gentium nationumq; crescet propago, laudes Domino in æternum decantabit.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Scribātur hæc inquam & tum voce tum literis omnia celebrentur, quod summus ille & æternus Deus, de excelso throno ad hęc indigna respexit ima, & vagos inopesque mortales, oculis clementiæ suæ mirificè beauit & recreauit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.

Neque verò ideò prospexit, At mundo immundo isti dignā sceleribus rependeret gratiam: sed vt multò etiam magis salutem ei daret & cōciliaret, & eos qui fuerāt vin-

culis constricti in pristinam reponeret libertatem, & deniq; lachrymis & gemitibus omnium imponeret finem, vt qui adeò interitui erãt obnoxii, efficerentur illius filij & hæredes cœli.

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.

Vt ad eum pristinæ sanitatis restituti modum, Deo Opt. Max. immortales agerent gratias, & à mortis, peccati, & Sathanę compedibus seipsos liberarent: iis autem qui adhuc compedibus tenerentur illis, in ciuitate Hie-

rusalem sancta, hoc est in vna illa eiusdem Dei Ecclesia eius beneficia enarrarent.

In conueniendo populos in vnum: & Reges ut seruiant Domino.

Vt laudes Dñi in Syon personarent, cũ populi simulq; Reges confluerent Deum suum adoratum.

Respondit ei in uia uirtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Et ipse quidẽ fidelis Syon Hierusalẽq; populus, in fortitudine sua egregiè suo respondit Domino legis ipsius insistens vestigiis, & perficiens cuncta non minùs libẽter quàm etiam studiosè.

Quod cum dixisset, vicissim ex eo erupit illa oratio: Aperi inquit mihi Domine vitæ finem & curriculum meæ.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione & generationem anni tui.

Nec tamen arctioribus terminis ita eum circumscribe, vt in medio ætatis cursu me abripere debeas, sed fac vt ad ipsam virtutũ metam perfectionisq; veniam. Quod meo quodam abs te iure, videor mihi posse sperare, cum tu tuaq; omnia

perfectissima sint semperq; fuerint.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.

Iam tu quidem Domine, in ipso tot sæculorum exordio terram cõdidisti, eamq; in sua firmitate constituisti, & cœlorum orbes vni illi ad scribuntur potentiæ sapientiæq; tuæ singulari.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut uestimentum ueterascent.

Verùm & hi tandem, à statu in quo nũc sunt remouebuntur suo: at tu vnus manebis semper immobilis. Illi instar consumabuntur ve-

stium: tu nulla vnquam edacitate temporis aut loci veterasces.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Ac sicuti quidẽ indumentum immutari solet, sic tu ipsos nouos efficies Deus, cũ ęternę restituentur dignitati. Tu vero interim constans & non variabilis futurus perpetuò es, nulla nec rerum, neque temporum vicissitudine aut cõuersione vel tantillum immutatus.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorũ in seculum dirigetur. Gl. pa.

Vt autem vni à temetipso tibi cõueniat ęternitas, tamẽ tu nihilominùs vel aliqua saltem ex parte electos tuos eius facies consortes, hoc est seruorum tuorũ filios, quos sancti Apostoli euãgelij prędicatione olim tibi genuerunt: quorum quidem semẽ in omne perdurabit æuum, nec à tuæ conspectu remouebitur amplius maiestatis.

Psalmus sextus.

De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi uocem meam.

Nunquam non dignum

iustumq; fuerit, veluti ex profundissima tentationum abysso hanc edere vocem testem dexteræ tuę Deus Opt. Max. Qui præsta mihi obsecro aures quas supplicibus soles, nec iure non debes, & aura benignitatis tuę ex portu in altum mea subuehatur oratio.

Fiant aures tuæ intendentes: in uocem deprecationis meæ.

Aperi aures supplicanti Deus, & vox apud te mea tādem aliquando audiatur.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit.

Iam verò anteactę vitę nul-

lam à me reposcas rationē, neque aures clamāti vllatenus obserato. Etenim si scelera notare cuncta steterit sētentia, ecquis aciem districti feret iudicij tui, & perpetui immunem se reddiderit cruciatus?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sed absit hoc quidē abs te fons perennis benignitatis sempiternę, cum lex tua nihil habeat melius, quā quòd promiseris, nihil natura dignius, quàm quòd consueueris parcere supplicibus.

Sustinuit anima mea in uerbo eius: sperauit anima mea in Domino.

Expectâui quidē diu prōmissorum exitum tuorum, & omnem Deus Opt. Max. meam in te spem defixi.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Sicut & in posterùm quoque perpetuò tibi fidebo, omnibusq́ue qui fideles esse & haberi volunt, idem vt faciāt prẹstabo me auctorem, ab annis pueritiæ primis, vsq́ue ad extremos senectutis: neque tantùm rebus secundis, verùmetiam & aduersis.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Perfecta quippe Dei Op. Max. est miseratio, qua salutem præstat opem eius implorantibus. Qua à morte, à peccatis, ab aduersariis, à periculis deniq; liberat nos cunctis: & nullum finem imponit miserendi.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius. Gloria pa. &c.

Vnus ille fuerit, qui beabit nos semper: neque solùm à præteritis, sed & à futuris immunes faciens flagitiis: cum ipso pater indulgentior, ac

totius vniuersitatis effector admirabilior nemo reperiatur.

Psalmus septimus.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in ueritate tua, exaudi me in tua iustitia.

Non apud te mea Deus irrita sit oratio, neque aures tuas frustra pulsare me patiâre: Idque non merito præstiteris meo, sed vt promissis tuis facias satis, dando veniã iis quos pœnituit deliquisse. Nã si tu quidem petenti promissum negaueris, quod ar-

gumentum tuæ in dictis & factis fuerit firmitatis.

Et nõ intres in iudiciũ cũ seruo tuo: quia nõ iustificabitur in cõspectu tuo õnis viuẽs.

Quòd si vero clementiæ oblitus rigore iustitiæ scelerũm postulaueris à nobis rationem, quis peræque reperietur bonus, vt tua sententia non sit damnandus?

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra uitam meam.

Hem miserum me, qui ab hoste circũscriptus sic sum, vt persequutione & tentatione ipsius, quasi in barathrũ aliquod videar mihi præcipitatus.

Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Quod tãdem ipsum in perpetuis veluti quibusdam tenebris me cõtinuò facit hærêre, & offundit caliginem menti & conscientiæ meæ detestandam.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Spiritus insuper meus timore factus est anxius & angustus, vt quidcunque increpuerit, cum horrore & trepidatione circumspectem. Quo ipso non obstante, nõ

vtiq; prorsus abieci me, verum & ipsa pręterita mea in mentem reuocaui mihi scelera: & quales ac quantas in variis gẽtibus nationibusq́; gesseris res, animo & cogitatione mecum sum contemplatus.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Hinc demum ad preces orationemq́; veni, & non dubitaui ingenuè fateri, quòd anima mea vt terra arida expers omnis est viriditatis, nisi aspergatur rore tuæ diuinę bonitatis: quò magis tu hu-

mectaueris ipsam. Ac sicuti quidem præ siccitate nimia, terra irrigationem imbriũ sitit: ita & anima mea rorem gratiæ tuę concupiscit vt tota pateat pareatq; diuinę tuę legi, & voluntati.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Accelera Deus Opt. Max. mihiq; vel quamprimum adesse ne grauêre: vita quippe mea ruinæ & interitui sine te est obnoxia, & hostili vi diuturna concussa, si maximè restiterit tandem succumbet. Fractus est spiritus

omninò meus, nec vllã vel minimam video viam expediendæ salutis.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Non hilarem & serênum à me auferas vultum fauoris & præsidii tui: Hoc etenim destitutus vno, in malum aliud incidam necessariò: & laqueos mortis nũquam effugero.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.

Diluculò Domine tranquillitatem animi mihi obsecro largiâre, cum meas ad te fundam preces, præser-

tim ardentiores: & pignoris, seu cuiusdam loco misericordiæ tuæ, vocem patiâre me percipere, vel hoc ipso externo sensu meo audiēdi. Quandoquidem ego spem in te totam posuerim meā, & fiduciam habeam plenā meæ vitæ & incolumitatis.

Notam fac mihi uiam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Et non tantū doceas, verumetiam promoueas me, sanctissimam ingressum viam tuorum mandatorum: potissimùm cùm tua nixus me recollegerim ope, & animum

mum meum tibi totum dicarim.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere uoluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Ac vt breuiter complectar quamplurima, fac Deus Op. Max. perpetuò me tueâre: & fac prę stem deinceps meliora. Defende me, quem ad vnum confugio supplex, dū me mei aduersarii acerrimè persequūtur: velisq; ac iubeas Dn̄e, voluntatem me exequi tuam, ipsa re & veritate.

Spiritus tuus bonus deducet me in terrā rectam: propter nomen tuum Domine uiuificabis me in æquitate tua.

Quod ipsum consecuturum esse omninò me abs te spero, & inprimis opto, & almi spiritus auram benignitatis expecto, quæ ex terra horrida & inculta in regiones me deportet fortunatas. Quod & ipsum non merito meo sed fauori adscripsero tuo.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Iam verò nõ tantum hostium meorũ eripies me potestati, sed eosdem illos pro æquitate tua fugâbis & castigâbis, vt passim & vbiq; non

adumbrata sed expressa extent vestigia, clementiæ tuæ erga omnes singularis.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum. Gloria patri & filio &c.

Et deniq; pręcipitabis cunctos qui mihi animæq; meæ exitium moliũtur. Nã quantũuis licet flagitiis meis ego te offenderim, seruus tuus sũ & ero nihilominus, laudibusq; tuis at quibus & quantis? literæ & labia mea nunquam penitus cõticescent.

Aña. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorũ: neq; vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ.

KYrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.

Spiritus ſancte Deus, miſ.

Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix ora.

Sancta Virgo virginum ora.

Sancte Michael ora.

Sancte Gabriel ora.

Sancte Raphael ora.

Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.

Omnes ſancti beatorum ſpirituũ ordines, orate pro n.

Sãcte Ioannes Baptiſta ora.

Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetę, orate pro nobis.

Sancte Petre ora pro nobis.

Sancte Paule ora.

Sancte Andrea ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Ioannes ora.

Sancte Thoma ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholomæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Thadæe ora.
Sancte Matthia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ, orate pro nob.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes ſancti innocẽtes, or.
Sancte Stephane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.

Sancti Fabiane & Sebeſtiane, orate pro nobis.
Sãcti Ioãnes & Paule, orate.
Sãcti Coſma & Damiane, or.
Sancti Geruaſi & Protaſi, or.
Omnes ſancti Martyres, or.
Sancte Syluester ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Ambroſi ora.
Sancte Auguſtine ora.
Sancte Hieronyme ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Nicolae ora.
Sancte Staniſlae ora.
Sancte Venceſlae ora.
Sancte Adalberte ora.
Sancte Floriane ora.

Omnes sancti Pontifices &
Confessores, Orate pro n.
Omnes sancti Doctores, or.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Antoni ora.
Sancte Bernarde ora.
Sancte Dominice ora.
Sancte Hyacincte ora.
Sancte Francisce ora.
Omnes sancti Sacerdotes, &
Leuitæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi &
Eremitæ, orate pro nobis.
Sãcta Maria Magdalena ora.
Sancta Anna ora.
Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.

Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Catherina ora.
Sancta Barbara ora.
Sancta Anastasia ora.
Sancta Elizabeth ora.
Sancta Heduidis ora.
Omnes SS. Virgines & viduæ, orate pro nobis.
Omnes sancti & sanctę Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propiti⁹ esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.

Ab ira tua, libera nos Dñe.
A ſubitanea & improuiſa morte, libera nos Dñe.
Ab inſidiis Diaboli, libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos dñe.
A ſpiritu fornicationis, libe.
A fulgure & tempeſtate, lib.
A morte perpetua, Libera.
Per myſterium ſanctę incarnationis tuæ, libera nos D.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuã, libera.
Per baptiſmum & ſanctum ieiunium tuum, libera n.
Per crucem & paſsionem tuam, libera nos Domine.

Per mortem & ſepulturam tuam, libera nos Domine.
Per ſanctam reſurectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera nos Dñe
Per aduentum Spiritus ſancti paracleti, libera nos.
In die iudicij libera nos Dñe
Peccatores, te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rogam.
Vt nobis indulgeas, te rog.
Vt ad veram pænitentiã nos perducere digneris, te rog.
Vt Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſeruare digneris,

ris, te rogamus audi nos.
Vt dominum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione cõseruare digneris, te rogam.
Vt inimicos sanctę Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.
Vt Regibus & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.
Vt cuncto populo Christiano pacem, & vnitatem largiri digneris, te rogamus a.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio cõfortare, & cõseruare digneris, te rogam.

Vt mẽtes nostras ad cælestia desideria erigas, te rogam
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamꝰ audi nos
Vt animas nostras, fratrum, propinquorũ, & benefactorum nostrorũ, ab æterna damnatione eripias, te rog.
Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rogam.
Vt omnibꝰ fidelibus defunctis requiem ęternam donare digneris, te rogamꝰ audi.
Vt nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamꝰ audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mũdi, parce nobis Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſercre nobis.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater n.

℣. Et ne nos inducas intentationem. ℟ Sed libera nos à malo.

DEus in adiutorium meũ intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundãtur & reuereantur:

tur: qui quęrunt animã meã.

Auertantur retrorsũ, & erubeſcãt: qui volũt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent & lætẽtur in te omnes qui quęrũt te: & dicãt ſemper, magnificetur Dñus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris. Gloria patri &c.

℣. Saluos fac ſeruos tuos.

℟. Deus meus ſperãtes in te.

℣. Eſto

℣. Eſto nobis Dñe turris for-
titudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus
in nobis. ℟. Et filius iniqui-
tatis nõ apponat nocere no-
bis. ℣. Dñe non ſecundum
peccata noſtra facias nobis.
℟. Neq; ſecundum iniquita
tes noſtras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Põtifice no-
ſtro N. ℟. Dominus conſer
uet eum, & viuificet eum, &
beatum faciat eũ in terra, &
non tradat eum in animam
inimicorum eius. ℣. Orem⁹
pro benefactoribus noſtris.
℟. Retribuere dignare Do-

mine omnibus nobis bona
facientibus propter nomen
tuũ vitam æternam. ℣. Ore-
mus pro fidelibus defunctis
℟. Requiem æternam dona
eis Domine & lux perpetua
luceat eis. ℣. Requieſcant
in pace. ℟. Amen. ℣. Pro
fratribus noſtris abſentibus.
℟. Saluos fac ſeruos tuos De
us meus ſperantes in te. ℣.
Mitte eis Domine auxilium
de ſacto. ℟. Et de Sion tue-
te eos. ℣. Domine exaudi
orationem meam. ℟. Et
clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, cui propriũ est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationẽ nostrã; vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena cõstringit, miseratio tuę pietatis clementer absoluat.

EXaudi, quæsumus Dñe, supplicum preces, & cõfitentiũ tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiã tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Dñe misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his mere-

mur, eripias.

DEus, qui culpa offẽderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuę iracũdię, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

OMnipotens sẽpiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eũ secundum tuã clementiam in viã salutis æternę: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illã

quam mundus dare non po-
test,pacem: vt & corda no-
stra mandatis tuis dedita, &
hostium sublata formidine,
tempora sint tua protectio-
ne tranquilla.

VRe igne sancti Spiritus
renes nostros, & cor no-
strum Domine, vt tibi casto
corpore seruiamus, & mun-
do corde placeamus.

FIdelium Deus omniũ con-
ditor, & redemptor, ani-
mabus famulorum, famula-
rumq; tuarum remissionem
cunctorum tribue peccato-
rum: vt indulgẽtiam, quam

semper optauerũt, piis sup-
plicationibus consequãtur.

ACtiones nostras, quæsu-
mus Dñe, aspirando præ-
ueni, & adiuuãdo proseque-
re: vt cuncta nostra oratio,
& operatio, à te semper inci-
piat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne
Deus, qui viuorũ domi-
naris simul & mortuorum,
omniumq; misereris, quos
tuos fide & opere futuros
esse prænoscis, te supplices
exoramus: vt pro quibus ef-
fundere preces decreuimus,
quosq; vel præsens seculum

adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dñum. ℣. Dñe exaudi orationẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Exaudiat nos omnipotẽs & misericors Dñus. ℟. Am̃. ℣. Et fideliũ animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.



INIVBILVM D. Bernardi de nomine IESV.

QVàm dulcis Iesu tua est memoria? quæ & quanta manant ex te vno gaudia? quàm lõgè iucundissima tua est præsentia? Nihil canitur suauius, nihil auditur libentius, nihil cogitatur dulcius, quàm Iesus Dei Opti. Max. filius. Tu non dicam solida sed sola spes petentibus, sacra anchora refugiẽtibus, salus pœnitẽtibus, lux,

via, & veritas quærentibus, at quid non fueris te inuenientibus? O Iesu dulcedo ipsa cordium, fons perennis viuentiũ, sol oriens in te emorientium. Tu omne exuperas gaudium: tu vincis solatium: tu iuge beatarum mẽtium es conuiuiũ: tu speculum vitæ: tu exemplar virtutum: tu zelator animarũ: tu perfugiũ nostrum: tu pater pauperum: tu cõsolator tristium: tu tesaurus fidelium: tu inspirator Prophetarum: tu magister Apostolorum: tu Doctor Euangeli-

starum: tu fortitudo Martyrum: tu lumen Confessorum: tu puritas virginum, verè es & appellaris. Non lingua exprimere, non mens concipere, non literæ describere, quid & quantùm fuerit toto animo Iesum diligere. IESV tu lux vera. Iesu tu in hoc pelago mundi nauigantium cynosura. Iesu tu sapientia æterna. IESV tu bonitas es infinita. Iesum ego in lectulo, Iesum clauso cordis cubiculo, Iesum priuato & publico loco amore queram sedulo. Iesum cum

deipara diluculo inuisam in tumulo, clamore animi quę rulo, mentis ſpectabo oculo, genas reſpergam fletibus, locum replebo gemitibus, tuis annixus pedibus, immoriar & amplexibus. Ieſu Rex admirabilis. Ieſu triumphator nobilis. Ieſu dulcedo admirabilis. Ieſu gaudium Angelorum. Ieſu ſplendidior ſtellis. Ieſu pulchrior luna. Ieſu clarior ſole ſemper exiſtis. Ieſu tuo olim in cœnaculo conſceleratus cōcipitur animus, dolus perficitur oſculo, flagitium vo-

mitur in prętorio, poſtremò verò luitur ſuſpendio. Mane nobiſcum Dñe, tuo vnico illuſtra nos lumine, mentē prohibe caligine, orbē reple dulcedine. Ieſu fac nos ſemper & vbiq; mortis tuę reminiſci, memori mente colere beneficia, dicta factaq; obſeruare omnia. Ieſu ætas me deficeret, ſi non dicam laudare ſed enarrare os meum inciperet, quorū vel ſimplex recordatio ferreo cuiq; grauiſsimos dolores inureret. Nā vt à minimis ordiar, Ieſu cōtra te inermē vnum, tanta

cohors armabatur, & qui omnis extiteras culpę expers, nihilominùs acerrimè cęsus, qui caput iustitiæ vinctus, qui ipsa maiestas & amplitudo per plateas & cōpita misere tractus & vexatus fuisti. Iesu cessit contra te furor sapientiæ, sceleri religio, ius & fas iniuriæ, maiestas ignominię. Miserere nostri, miserere nostri: quādoquidem quoties cor nostrū visitas, toties lucet ei veritas, mundi vilescit vanitas, & intus feruet charitas. Iesu qui sanctitas es sacerdotū, quàm iniustè

in aula Pontificis cōdemnaris ad supplicium. Iesu per quem Reges regnant, quàm iniquè in Palatio Regis accusaris amentiæ? Iesu qui hæres es gloriæ, quantæ obnoxius redderis ignominię. Iesu ecquid causę fuerat, vt tanquam inuerecūdus puer colaphos, sicuti vile mancipium virgas, non secus deniq; quàm preceps & ambitiosus Rex diadema spineū impositū patiaris. Miserere nostri Iesu, miserere nostri. Hem quā omniū maximi beneficii tui erga nos ingrati sumus, quā

turpissimis voluptatibus &
luxuria diffluimus, quàm
grauiter sceleribus nostris te
in crucē rursus agimus, quā
ad iniustam indignationem
sæpenumero prouocamus.
Ac libeat sanè vsq; ad mortē
tuum Iesu acerbissimū men-
te & cogitatione contem-
plari cruciatum, quādo Reg
Regum maximo imposue-
runt portandā tibi crucem
iam defesso, immane pon-
dus semiuiuo, vt sarcina quā
dolore prius interires. Iesu
inter quot & quantos voci-
ferantium clamores in Gol-

gata ductus es. Iesu quàm in
excelsam trabem sublatus.
Iesu quàm multis maximèq;
cōtumeliosis verbis fuisti se-
pius diuexatus, vt quo non
procerior alter in crucē act⁹
melius cerni potuisses, & vi-
lescere in probris qui resplē-
des iam in stellis, pati contu
meliā qui natus es ad hono-
rem & gloriā sempiternam.
Miserere nostri Iesu, miserere
nostri. Iesum omnes libera
torem nostrum agnoscite.
Iesum reuerenter colite, & v-
trùm patibulum an eius ad-
ditamentum crudelius fue-

rit vobiscum ipsi recogitare. IEsu crudelem in modum transuerberatas manus, cruore madentes pedes, arundine percussum caput. Iesu cœli & terræ Domini nuditatem. Iesu hostium aut spartacorum potiùs intueamur spurcitatem. Iesu quale & quàm indignum illud in ardentissima tua siti fuerat poculum, quàm immane consortiũ, quàm publica latrocinij fides, quantus amantissimæ matris dolor & squallor, quanta in dilapsis sociis ęgritudo animi? quãtus cor-

poris tui laniatus, quàm deniq; multa in vno funere funera, & in supplicio supplicia infinita. Iesu inauditæ exemplum patiẽtiæ. Iesu auctor salutis nostræ. Iesu fons perennis clementiæ, quàm horribilis ille Caluariæ pudor? quantus Genitricis tuæ mæror? quantus tuimet ipsius extitit dolor? quàm viuẽtis & morientis difficilis obitus? quanta vitę & mortis inter se colluctãtis anxietas & cruciatus. Iesu fac rerum ista rum meditatione habeã plenam amoris tui copiam: fac

in tuam ingrediar gloriam: fac vitem superbiam: fac diuini numinis nominisq; tui in obliuionem nunquã veniam: fac vt de hostibus meis solidam obtineam victoriam. Tua Iesu dilectio animi mei perpetua est recreatio: sacietatem absq; fastidio, esuriẽ tollit sibi cuiq; obuio. Iesu qui vel semel te gustauerint perpetuò esuriunt, qui biberint sitiunt, qui verò dilexerint nunquam à te deficiunt. Iesu quàm æquissimũ fuerit, vt memoria tuæ paupertatis & mortis pro se

quisq; æquus suæ æstimator sit fortis, & mẽbra illius non sint mollia cuius cruentatũ caput corona fuerat spinea. Iesu obstupescant cœli qui tantò cõpassi sunt regi. Iesu pudeat lucere solem qui obtenebrari vidit te suum molitorem. Iesu contremiscant campi cum & de patibulo tu contremueris. Iesu velamen scindatur templi, tuo cõscisso corpore, qui eius mysteria tua nudasti nuditate. Iesu molliores fiãt in doloris sensum lapides, si quidem lapidescere pectora potuerunt

mortalium & fontem benignitatis obruere viuum, quē visuri sunt aliquando viuorum & mortuorum iudicem plusquam tremendū. Iesum audite & dehiscite tumuli, vestris ex cauernis, vt prodeant illi, qui tantæ immanitatis fuerunt socii. Iesu decus Angelicum. Iesu dulce canticum. Iesu mel in ore mirificum. Iesu in corde nectar cœlicum. Miserere nostri. Iesu tui desiderio flagro magis indies. Iesu quando ad me venies. Iesu quàm citò me reficies. Iesu tuus in me amor

perpe-

perpetuus quanto olim fuerat tibi exitio, mea verò quā friget erga te cōfisio. Iesu tua me stringat charitas, sustētet benignitas, foueat liberalitas. Iesu quàm cupio te diligere, semper & vbiq; quærere, tibi æternū conuiuere. Iesu omnium mansuetissime. Iesu omniū potētissime. Iesu omniū castissime. Tu clarior es ipsa claritate: tu maior maiestate: tu splendidior luce: tu vnica spes suspirātis animæ: te nostræ inuocāt lachrymæ: te mentis susurrus intimæ: te voces implorant

piæ.

piæ. Parce Iesu & miserere. Iesu amplitudo tua nihil habet maius quàm vt queat, nihil natura melius quàm vt cupiat succurrere vniuersis. sed finis sit. Te ego generis humani recuperator Iesu, te vindicem scelerum, te benignitatis fontem, te salutis nostræ obsecro auctorē, vt qui quod non rapueras exoluere, quod non intriueras exedere, quod nō merueras pro nobis patiēter ferre, & legalium sacramentorum sarcinam voluisti ipse portare, amoris tui in nostris pe-

ctoribus flammam excites: vt perpetuum grati erga te animi Thymiama, solatiū in ærumnis, amuletum in periculis, antidotum tartareæ pestis, ius nobis Regni sit & adoptionis. Iesu tu viuacissimam & efficacissimam victimæ tuæ memoriam in sacrosancto Eucharistię Sacramēto temetipsum nobis reliquisti. Iesu qui nūc sub dio, nunc sub velo, nunc in cruce, nunc in mysteriis, nunc inter hostes, nunc inter filios, nunc mundans vulnere, nunc eodem gloriosus cor-

pore ſacrificari voluiſti. Ieſu qui aureum os illud tuum quod ſcelerati contuderant milites, ori noſtro apponi, Ieſu qui caput tuum quod ſpinis perfoderāt hoſtes corpori noſtro cōglutinari, Ieſu qui latus illud quod cuſpide immaniter confixū fuerat, lateri noſtro adhærere, illa denique omnia membra & articulos qui laniati, qui cruentati, qui fiſsi, qui foſsi, qui tracti, qui fracti, qui toto patibulo erāt diſtēti, corpori noſtro immiſceri permiſiſti: te inquam Ieſu ſupplices

plices rogamus ac petimus, vt qui hoc nomen ſupra omne nomen, cunctis fidelibus amabile, hoſtibus formidabile, dæmonibus ipſis tremendū & horribile effeciſti, tantùm nobis beneficii tribuas, vt qui illud amando venerari, & venerando amare, nec ſolùm in cōſpectum, ſed in penitiora etiam viſcera medulasq; noſtras ingerere non dubitauerimus, hîc in terris ſanctæ cōſolationis præmium, & in futuro æuo æternam beatitudinem conſequamur.

ALIÆ LITANIÆ de nomine IESV.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſe.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.
Ieſu fili Dei viui, miſerere n.
Ieſu potentiſsime, miſ: nob.

Ieſu fortiſsime, miſerere n.
Ieſu perfectiſsime, miſ: no.
Ieſu glorioſiſsime, miſerere.
Ieſu mirifice, miſerere nobis
Ieſu iucundiſsime, miſerere.
Ieſu chariſsime, miſerere n,
Ieſu clarior ſole, miſ: no.
Ieſu pulchrior luna, miſ: n.
Ieſu ſplendidior ſtellis, miſ.
Ieſu admirabilis, miſ.
Ieſu delectabilis, miſ.
Ieſu honorabilis, miſ.
Ieſu humillime, miſ.
Ieſu pauperrime, miſ.
Ieſu mitiſsime, miſ.
Ieſu patientiſsime, miſ.
Ieſu obedientiſsime, miſ.

Iesu castisſime, miſ.
Iesu amator castitatis, miſ.
Iesu amator patris, miſ.
Iesu amor noster, miſ.
Iesu ſpeculum vitæ, miſ.
Iesu exemplar virtutum, m.
Iesu decus morum, miſ.
Iesu zelator animarum, miſ.
Iesu refugium nostrum, mi.
Iesu pater pauperum, miſ.
Iesu conſolatio afflictorum, miſererere nobis.
Iesu theſaurus fidelium, mi.
Iesu gemma precioſa, miſ.
Iesu armarium perfectionis miſerere nobis.
Iesu bone paſtor ouium, m.

Ieſu ſtella maris, miſ.
Ieſu lux vera, miſ.
Ieſu ſapientia æterna, miſ.
Ieſu bonitas infinita, miſ.
Ieſu gaudiũ Angelorum, m.
Ieſu Rex Patriarcharum, m.
IESV inſpirator Prophetarum, miſerere nobis.
IESV magiſter Apoſtolorum miſerere nobis.
IESV Doctor Euangeliſtarum, miſerere nobis.
Ieſu fortitudo Martyrum, m.
Ieſu lumen Confeſſorũ, m.
Ieſu ſponſe Virginum, miſ.
IEſu corona ſanctorum omnium, miſerere nobis.

Propitius esto, parce nobis Iesu.

Propiti⁹ esto, exau: nos Iesu.

Ab omni malo, lib: nos Iesu

Ab omni peccato, lib: Iesu.

Ab ira tua, libera nos Iesu.

Ab insidiis Diaboli, libera nos Iesu.

A peste, fame, & bello, libera nos Iesu.

A transgressione mandatorum tuorũ, libera nos Iesu.

Ab incursu omnium malorum, libera nos Iesu.

Per incarnationem tuam, libera nos Iesu.

Per aduentum tuũ, lib: Iesu.

Per natiuitatem tuam, libera nos Iesu.

Per circumcisionem tuam libera nos Iesu.

Per dolores tuos, libe: Iesu.

Per flagella tua, lib: nos Iesu.

Per mortem tuã, libe: Iesu.

Per resurrectionem tuam, libera nos Iesu.

Per ascensionem tuam, libera nos Iesu.

Per gaudia tua, lib: nos Iesu.

Per gloriam tuam, lib: Iesu.

Per dulcissimam Virginem matrem tuã, lib: nos Iesu.

Per intercessionem omniũ Sanctorum tuorũ, lib: Iesu.

Agnus Dei, qui tollis pecca-
ta mũdi, parce nobis Iesu.
Agnus Dei, qui tollis pecca-
ta mundi, exaudi nos Iesu.
Agnus Dei, qui tollis pecca-
ta mũdi, miserere nob. Iesu
Iesu Christe audi nos.
Iesu Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson. Christe eley-
son. Kyrie eleyson. Pater
noster. Aue Maria.
℣. Et ne nos inducas in ten-
tationem. ℟. Sed libera nos
à malo.
℣. Domine exaudi oratio-
nem meam. ℟. Et clamor
meus ad te veniat.

Oratio.

DEus qui gloriosissimum nomen Iesu Christi, filii tui Dñi nostri, fecisti fidelibus tuis summo suauitatis affectu amabile, & malignis Spiritibus tremendum atque terribile, concede propitius, vt omnes qui hoc nomẽ IESV deuotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem, in pręsenti percipiãt, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis optineant in cœlis. Per eundem Domi-

num nostrum Iesum Christũ filium tuũ, qui tecũ viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula seculorum. Amen.

Alia Oratio.

IESV cuius nomen exaltatum est solius, & in quo omne flectitur genu, quodq; venerando omnes amare, & amando iure debemus venerari: agnosco & confiteor animam meam à te, in hoc corruptibile positam esse corpus, non vt lege & bonitate tua abuteretur, sed vt te

perpetuò coleret, & aliis exẽplo esset ad benè de te merendũ. Cuius quidẽ ego beneficii oblitus, in auia abs te feci secessionẽ vagus, & substantiam meam totam consumpsi, ac quod mihi benignius dederas, ingratus perdidi & abliguriui. Quo nõ aliud quàm iram tuam & Gehennam meritus mihi esse videor, & ne in extremo iudicio auditionem illam audiam abs te malam, subuereor. Sed interim tamen oro te supplex, miserere mei peccatoris, & animam meam in-

ter animalia bruta, in hac miseriarum vale exulantē sub tuū reuoca vexilum: vt scelerum cōscientia conpūctus & pudore ruboreq; suffusus, redeam tandem ad te viuum fontem aquæ, & benignitatis infinitæ: cum tot ac tantę miriades hominū sint semperq; fuerint, quos gehenna vel ob vnū mortale peccatum, ad æternos cruciatus sibi mancipauerit: ego verò tot ac tantis perpetratis adhuc viuam, & non solum patientiam, verumetiam & beneficentiam tuam experiar

singularem. Nobilissimi creaturarum omnium fuerant Angeli tui, numero plurimi, peccatum ipsorū vnicū, idq; simplicis cogitationis, quos tu nihilominus, tanquam iustissimus Deus, visione tua priuauisti. Quid de me fiet, qui nullus sum, nullum numerum facio, peccata plura quàm sunt arenæ maris habeo. Ego scelerib. meis rursus te in crucem ago: ego flagitiis dolorē inuro: ego grauissimorum cruciatuum tuorum dux & auctor fio: tu mihi comprehēsus, mihi ac-

cuſatus, mihi damnatus: tu mihi virgis ceſus: tu mihi deniq; in crucem es actus. Te ego inter latrones medium in altiſsima cruce cõfixum, vnigenam Dei filium, hinc à Matre & Diſcipulis defletũ, illinc à Sacerdotibus & Scribis laceratum, à militibus potionis amaritudine cruciatum, à latrone vocibus inſectatum, vana inſcriptione ludificatũ, videre mihi videor. Ego inter hos tantoſq; dolores, inter tot tantaq; tormenta, vocem illã interruptam intermorientis audio:

Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt. Quæ cum ſummæ patientiæ, ſummæ clementiæ, ſummæ manſuetudinis vox ſit & oratio; & cum innocẽtiſsimus à ſceleſtiſsimis contra omne ius & fas comprehendi, vinciri, accuſari, damnari, corripi, cedi, atq; in crucem poſtremò te agi permiſeris; quid & mihi non facias ſpem, cum tot aliis præſtiteris rem & miſericordiæ tuæ veritatẽ? Hem quis mihi dabit fontem lachrymarum? qui nec ſufficeret quidem ſceleribus me

is deflendis, & iracundia tua mitiganda, quam iam pridẽ in atrocitate pœnarum debe bam ſubiiſſe. Cum tu tamẽ nihilominus miſericors & miſerator Deus, ea mihi interim dederis, quæ in benefactorum remunerationem non in delictorum punitionem potius cõcedũtur, quò magis in ſpẽ venio benignitatis tuę, & ſupplex peto, parce Ieſu parce peccatis meis, & non obliuiſcaris vſq; in finẽ. Ego ſum ille ſeruus profugus, qui ad te Deum meũ redeo: ego filius prodigus

qui poſtliminio reuerſus patris placabilitatẽ erga me agnoſco & cõfiteor: ego reus, qui à iudice quod nec merueram nec ſperaueram abſoluor: ego amico quẽ prodideram viciſsim aſſocior. Tu miſericors Ieſu qui ad imaginem tui infudiſti mihi animam, & rurſus pro me effudiſti tuã, qui ꝑ omnem meam vitam tantam declaraſti mihi beneficentiam, qui in tot ſceleribus meis tantã habuiſti mecum patientiã, rurſus me ad te voca, in viam ſalutis reuoca, & ſemel reuo-

catum in proposito perse-
uerandi obfirma: vt Ange-
lorum tuorum instar, Diui-
nę Maiestatis tuæ oculos fla-
gitiis meis ad indignationē
nec velim nec possim ampli-
us prouocare: sed per nomē
tuum Iesu sanguinemq́; pro
me fusum, post hanc mise-
ram & caducam vitam sor-
tiar beatam & sempiter-
nam. Amen.



LITANIÆ B. Virginis Mariæ.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, mise.
Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum ora.
Mater Christi ora.
Mater diuinæ gratiæ ora.
Mater purissima ora.
Mater castissima ora.
Mater inuiolata ora.
Mater intemerata ora.
Mater amabilis ora.
Mater admirabilis ora.
Mater creatoris ora.
Mater saluatoris ora.
Virgo prudentissima ora.
Virgo veneranda ora.
Virgo prædicanda ora.
Virgo potens ora.

Virgo clemens ora.
Virgo fidelis ora.
Speculum iustitiæ ora.
Vas sapientiæ ora.
Causa nostræ lætitiæ ora.
Vas spirituale ora.
Vas honorabile ora.
Vas insigne deuotionis ora.
Rosa mystica ora.
Turris Dauidica ora.
Turris eburnea ora.
Domus aurea ora.
Fœderis arca ora.
Ianua cæli ora.
Stella matutina ora.
Salus infirmorum ora.
Refugium peccatorum ora.

Cōſolatrix afflictorum ora.
Auxilium Chriſtianorū ora.
Regina Angelorum ora.
Regina Patriarcharum ora.
Regina Prophetarum ora.
Regina Apoſtolorum ora.
Regina Martyrum ora.
Regina Confeſſorum ora.
Regina Virginum ora.
Regina ſanctorū omniū ora.
Agnus Dei qui tollis peccata mūdi, parce nobis Dn̄e.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Dn̄e.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſ.
Kyrie eleyſon. Pater. Aue m.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Dn̄e exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Precatio.

GRatiam tuam quæſumus Dn̄e mentibus noſtris infunde, vt qui Angelo nunciāte, Chriſti filii tui incarnationē cognouimus, per paſsionē eius & crucem, ad reſurrectionis gloriam perducamur.

ALIÆ LITANIÆ B. Virginis Mariæ.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, mise.
Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta virgo Virginum ora.

Mater viuentium ora.
Mater pulchrę dilectionis o.
Mater sanctæ spei ora.
Paradisus voluptatis ora.
Lignum vitæ ora.
Domus sapientiæ ora.
Porta cæli ora.
Desideriũ collium æternorum ora pro nobis.
Ciuitas refugii ora.
Vrbs fortitudinis ora.
Vena vitæ ora.
Clypeus omnibus in te sperantibus ora.
Gloria Hierusalem ora.
Sanctuarium Dei ora.
Tabernaculum fœderis ora.

Tabernaculum Dei cum hominibus ora.
Propitiatoriũ altiſsimi ora.
Altare Thymiamatis ora.
Scala Iacob ora.
Arca teſtamenti ora.
Speculum ſine macula ora.
Virga Moyſis ora.
Virga Ieſſe ora.
Lilium inter ſpinas ora.
Rubus ardẽs incõbuſtus or.
Vellus Gedeonis ora.
Thronus Salomonis ora.
Turris eburnea ora.
Fauus diſtillans ora.
Hortus concluſus ora.
Fons ſignatus ora.

Puteus aquarum viuentium ora pro nobis.
Nauis inſtitoris de lõgè portans panem ora.
Mulier amicta ſole ora.
Stella matutina ora.
Aurora conſurgens ora.
Pulchra vt Luna ora.
Electa vt Sol ora.
Caſtrorũ acies ordinata ora.
Solium gloriæ Dei ora.
A periculis cunctis Libera nos mediatrix noſtra.
Per immaculatã conceptionẽ tuã, lib: nos mediatrix n.
Per ſanctã natiuitatem tuã, libe: nos mediatrix noſtra.

Per venerabilẽ præsentationem tuam, libera nos mediatrix nostra.

Per admirabilem annunciationem tuã, lib: n. mediat.

Per mundissimam purificationem tuã, libera nos mediatrix nostra.

Per gloriosam assumptionẽ tuã, lib: nos mediatrix no.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Vt veram pœnitentiã nobis impetrare digneris, te rog.

Vt Ecclesiæ sanctę, cunctoq; populo Christiano pacem & veram concordiam impetra-

petrare digneris, te rogam.

Vt gubernatori nostro N. de hostibus victoriam impetrare digneris, te rogamus.

Vt exercitum Catholicum conseruare digneris, te ro.

Vt famulos tuos ad te confugientes protegere & conseruare digneris, te rogamꝰ.

Vt fidei, spei, & charitatis augmentum nobis impetrare digneris, te rogamus au.

Vt mentis & corporis integram puritatem nobis impetrare digneris, te rogam.

Vt verę humilitatis omniũq; virtutũ præsidia nobis im-

petrare digneris, te rogam.
Vt omnibus fidelibus defũctis requiem æternam impetrare digneris, te rog.
Mater Dei, te rogamus aud.
Agnus Dei qui tollis peccata mũdi, parce nobis Dñe.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Dñe.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pr. nr.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Oratio.

Pietate tua quæsumus Domine nostrorũ solue vincula peccatorũ, & B. M. Virgine intercedente cũ omnibus Sanctis, libera nos ab omnibus præsentibus & futuris malis, & inimicis nostris tam visibilibus quã inuisibilibus vniuersis. Per Dñum nostrum Iesum Christum.

Oratio ad B. Virginem Mariam.

VIRGO sacratissima, quæ Deum de Deo, lumẽ de lumine, orbi terrarum effundere, & salutem nostram tuo

ſacroſancto partu reparare meruiſti: ora pro me, licet indigno, vnigenam tuũ filium, vt miſereatur mei, & dimittat omnia peccata mea, non vllo merito meo, quod verius ſcelus atrociſsimum nuncupabo, ſed benignitate & clementia ſua erga omnes ſingulari. Tu es illa Beata Virgo, quæ Mater & Genitrix Dei vocata fuiſti: tu quod prima parens noſtra Eua, ſua lubrica & præcipiti perdidit cupiditate, tua ſancta & admirabili bonitate & humilitate recuperaſti:

tu Regina cœlorum: tu miſerorum aſyllum: tu pœnitentium portus & refugium perpetuò extitiſti. Nulla eſt ſi cum tua conferatur pulchritudo Rachel, nulla Abigail demiſsio, nulla Suſannæ pudicitia, nulla Annæ Samuelis matris pietas, nulla Iudithæ fortitudo, nullus Marthę labor, nulla Magdalenæ pœnitentis conſtantia. Tu ſola Mater Ieſu vniuerſas es ſupergreſſa: vt nec Rachel quæ animum Patriarchæ Iacobi deuinxerat, neq; Abigail quæ profunda ani-

mi ſubmiſsione Regi Dauidi coniuncta fuerat, neq; Suſanna quę pudicitię laude inſignis vitã & maxima quæq; decora ſibi parauerat, neque Anna quę Samuelem vatem filium precibus ſuis diuinitus obtinuerat, neq; Iuditha quæ Holofernem interfecerat, vllam vel minimã partem gloriæ habere tecũ poſſe videantur. Tu ſola Virgo, multò Rachele maior, matris & ſponſæ nomen omnia continentis Dei Opt: Max: ſortita es. Tuam Sol & Luna ſpeciem & formam admiratur.

ratur. Tu vt filius Dei, æterni Patris verbum, thalamum inhabitaret tuũ effeciſti: tu caſtitatis & puritatis ſtudio, genus humanũ collapſum ab interitu vindicaſti: tu ardentiſsimis orationibus atq; votis non Samuelem aliquẽ ſed ipſum Dei filiũ ex æthereis ſedibus in vterum tuum euocaſti. Tu hoſtẽ audacia in homines furentem, ſcelus anhelãtem, ſine controuerſia proſtrauiſti: tu caput ſerpentis contriuiſti: tu Martham deniq; ipſam in laboribus aſsiduitate, Magdalenã

in amoris feruore, & ipſa viciſti firmitate. Tu ſolicitudine incredibili inſeruire filio: tu ad mortem eum comitari: tu in tumulo quærere: tu reſuſcitatum non dubitaſti adorare. Te nihil præclarius in terris, nihil ſplendidius in cœlis. Ora pro nobis & adeſto afflictis pientiſsima mater: vt de tuis laudibus nullius lingua, nullius literæ, nulla vnquam præconia, nulla præſentis & futuri æui incorruptiſsima iudicia, conticeſcant.

S. Bernardi Oratio.

O Bone Ieſu. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiã in morte, ne quãdo dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. O adonai. Locutus ſum in lingua mea, notum fac mihi Dñe finem meũ. O ſapientia quæ ex ore altiſsimi prodiiſti. Et numerũ dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi. O Meſsias. In manus tuas Domine cõmendo ſpiritum meum: redemiſti me Dñe Deus veritatis. O Rex fili Da-

uid. Dirupisti Dñe vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomẽ Dñi inuocabo. O Heloi. Periit fuga à me, & non est qui requirat animã meã. O Emanuel. Clamaui ad te Dñe, dixi tu es spes mea, in terra viuẽtiũ. O Christe. Fac mecũ signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniã tu Dñe adiuuisti me & cõsolatus es me. O Agios. Signatũ est super nos lumen vultus tui Dñe, dedisti lætitiã in corde meo. O Rabi. Dixi cõfitebor aduer-

Dang Professo ...

sum me iniustitiã meã Dño, & tu remisisti impietatẽ peccati mei. O tetragrãmaton. Qui tribulãt me, exultabunt si motus fuero, ego autem in misericordia tua speraui. O Agnus. Cãtabo Dño qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Dñi altissimi. Gloria Patri & Filio. &c. Kyrie eleyson. Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster.

Cõfiteãtur tibi Dñe omnia opera tua. Et Sancti tui benedicant tibi. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Ezechiæ Regi Iudę cum lachrymis tibi supplicanti terminum vitę protendisti, concede propitius tantum mihi terminum vitę, quantus sufficiat peccatis meis deflendis: & criminibus quibus maiestatem tuã offendi per pœnitentiã abolendis. Per Iesum Christũ tuũ filium Dñum nostrum.

FINIS.



